




LEXICON

LINGUÆ COPTICÆ

LEXICON

LINGUÆ COPTICÆ

LEXICON

LINGUÆ COPTICÆ

STUDIO

AMEDEI PEYRON

EQUITIS ORDD. MAURITIANI ET SABAUDI OB MERITA CIV.
PROFESSORIS LINGUARUM ORIENTALIUM IN TAURINENSI ATHENÆO
SOCII R. ACADEMIAE SCIENTIARUM TAURINENSIS
ALIARUMQUE



TAURINI
EX REGIO TYPOGRAPHEO
1835



CAROLO ALBERTO

SARDINIÆ REGI

AMEDEUS PEYRON

Cum decessor Tuus rex CAROLUS FELIX, *comparato Ægyptio Museo, singulare imperiosae huic civitati ornamentum addiderit, tum id muneris nobis incumbebat, ut quantum studii in novis litterarum opibus proponendis ille posuit, tantumdem nos in iisdem illustrandis collocaremus.*

Ita enim Principis in bonas disciplinas providentia, et doctorum civium industria reciprocanda videtur, ut ex utraque splendidius eniteat patrium nomen, atque ad praestantiorum gentium laudes accedat. Quare ex nostris alii alia Ægyptia monumenta certatim ediderunt. Quos ego pro viribus aemulatus graecos Papyros ita enarrandos suscepi, ut quidquid ad Ptolemaeorum tempora, et res, earumque causas pertinebat expromens, syngraphis specie humilibus gloriam celebrationemque conciliare sategerim. Quo labore defunctus animum retuli ad intermissa Ægyptiorum hieroglyphicorum studia. Sed cum probe intelligerem omnem progressum desperandum ei fore, qui a Coptici sermonis notitia esset imparatus, mecum constitui universas illius opes, quas tres dialecti suppeditant, diligenti studio colligere; quod felix faustumque omnibus per Europam OEdipis fore ominabar. Quid enim illis locupleti Coptico lexico destitutis non dicam tentandum, sed factitandum superfuisset? In aliena inventa iurantes illa nec recte aestimassent, nec novis accessionibus auxissent; vel intentatas vias sine certo duce experti erroribus errores cumulassent.

Jam septimus ab opere inchoato mihi effluxerat annus, cum seu longi laboris pertaesus, seu nulla libri edendi praesidia prospiciens, animo quasi despondebam; sed opportune Tua, Rex Auguste, in litteras fovendas propensio, Tuumque patrocinium intercessit. Vix enim intellexi meum de Coptico lexico concinnando consilium Tibi ita probari, ut etiam indulgeres Tuo nomini inscribi, animum recipiens eo maiore diligentia congestam materiam retractavi, novamque collegi, quo magis sentiebam augusto auspicio pro dignitate esse respondendum. Ac cumulatissime respondissem, si res non ex ingenii viribus, sed ex animi in Te mei alacritate, praestanda fuisset. De illo iudicent docti. Animum vero in Te obsequentissimum nisi haberem, beneficiorum immemor ingratusque essem. Sed ne unius mei causa mea in Te observantia videatur esse suscepta, dicam quod res est, quodque sentimus omnes optimarum disciplinarum cultores.

Vix thronum conscenderas, atque inter tot curas, quibus animum impertiri necesse erat, id in primis publice testatum voluisti, doctrinam et scientias in gradu equestris dignitatis, novo apud nos exemplo, collocari. Faustissimum omen prolixae Tuae in litteras voluntatis ceperamus, quando

non una significatione contentus novum equestrem ordinem creas, quo homines summo ingenio, qui de artibus studiisque pacis optime sint meriti ex iudicio sapientum, honestentur. Ita ne nostrates aut suorum Principum invitamentis tardi respondent, aut gloriae stimulis non tanguntur, ut novis laudis insignibus eos irritandos esse existimares? Nostrae ne peregrinabantur aures, cum vix rerum summam adeptus multa ad rem litterariam pertinentia sanciebas, ut Tuum patrocinium iterum inculcandum esse iudicares? Scilicet volebas ita saeculo satisfacere, ut eius vitium emendares, tum de propenso Tuo studio omne dubium exemptum esse. Enimvero omnes, neque immerito, sciti esse volumus multaque doctrina exculti, ita fert praepotens temporum vis, cui nemo obniti valeat, at nonnulli praepostere ambitiosi auctoritatem pati detrectant; quare Tu, prudentissimo consilio, et scientiis gratificari, atque has cum auctoritatis imperio coniungere constituisti. Sane Musas ducit Apollo, et Musageti praeest Olympius. Spectaculum oppido iucundissimum! In tot Europae motibus atque anxietatibus, in quibus omnes e re sua aestimantes studia, ea vel blanda facilitate enervant, vel callide ludificantur, vel ad unam

praesentem utilitatem traducunt, ne dicam iis turpissime abuti, nobis ornatissimam pacem agentibus cum dignitate et Musis licet esse castissimis Pulchri et Veri amatoribus. Tu quippe in Pulchro et Vero, quae maxima Tui laus est, regni Tui columen collocasti. Semel ac vero patuit Te id constituisse, ut pacis artibus, civili sapientia, atque omnigena doctrina Tuum patriaeque nomen amplificares, incredibile dictu est quanta alacritate privati quique Tua vota obsecundantes aut eximiis novarum opum accessionibus publica instituta ac musea ditaverint, aut doctis elucubrationibus scientiarum fines proferre contenderint. Atque alii quidem, quibus maior et doctrinae et ingenii vis contigit, alia Tibi graviora et maioris operae inscripserunt; ego autem diffisus quicquam a me expromi posse, quod sententiarum luminibus splendens meum Tibi gratificandi animum adaequet, illud opus Tibi offero, quod ostentationis nihil, plurimum tamen utilitatis habet. Operum fastigia spectantur, sua tamen laus manet fundamenta, quae latent. A te igitur, Principum decus, etiam atque etiam peto, ut qua humanitate me honoribus auxisti, eadem meum hunc laborem, qui nulla re magis, quam Tui nominis auctoritate

nixus in publicum prodit, accipiendum putes. Quod si aliquam diligentiae laudem apud philologos consequar, magnopere velim, ut sciant, me Tibi bonorum studiorum auspici et patrono plurimum debere, eaque observantia addictum esse, qua litteras ipsas prosequor, quibus me meaque devovi.

Dabam Augustae Taurinorum idibus aprilis MDCCCXXXV.

LECTORI

Ad linguam Copticam accesseram vixdum adolescens, qua aetate ingenium multivolum multiplicis etiam scientiae cupiditate flagrans varias pertentat ac delibat doctrinas; vocabula colligebam, quae suas ad radices revocare conabar, grammaticae rationes expendebam, ac maiora tentassem, nisi expertus vidissem tam bonas horas vix cum aliquo emolumento compensari, quod ad liberales disciplinas, vel altiorem eruditionem pertineret. Quare contentus linguae indolem explorasse destiti ab incoepto, ac litterarum Copticarum quasi immemor ad alias atque alias longe amoeniores utilioresque me converteram, quando fama hieroglyphicae scripturae tandem aliquando enodatae me commovit. Cum enim audissem, quod animo iam praeceperam, multum esse praesidii in Coptico sermone ad hieroglyphica aenigmata solvenda, animum ad eum retuli, ac, priscis commentariis a pulvere detersis, veteribusque notionibus iterum excitatis, rem Copticam recognoscebam, simulque cum hieroglyphica consociabam. Sed rursus animum demisi quum fando accepi Champollionium longo studio locupletissimum sibi Lexicon Copticum confecisse. Ita ne, aiebam, actum agam, atque opus iam praelo fortasse paratum ipse ex integro aggrediar? Inter haec dubitanti mihi Augustam Taurinorum supervenit Champollionius, qui sui suorumque laborum aestimator aequissimus candide fassus est, se quidem Lexicon in suos usus parasse, sed quod multo opere, multoque delectu ac iudicio adhuc indigebat, ut purgatum atque absolutissimum in publicum prodire posset. Enumerabat mihi libros sibi aut non perlectos, aut peculiaribus in locis tantum delibatos; rariores verborum constructiones non semper adnotatas; particulas, praepositiones non bene enucleatas; addebat congestam materiam

novo iudicio esse purgandam, tum ordine disponendam; quae omnia tantum temporis atque otii deposcebant, quantum ipse nollet demere a rei hieroglyphicae studio, in quo illustriorem palmam se fore consecuturum confidebat. Hinc hortari me, ut lexicon linguae Copticae ex integro condendum susciperem, dubitantem, ac tam ingratnm opus deprecantem allicere, impellere, suaque auctoritate acuere, dixerim etiam precibus. Si enim, aiebat, lexicon meo studio concinnatum prodeat, quod cum rationibus hieroglyphicis apprime consentiat, non deerunt obtrectatores, qui Coptica verba, eorumque notiones, dicent me non expressisse cum fide, sed e re hieroglyphica callide detorsisse. Me tandem vicit male pertinacem; de scopo, de methodo, de ordine lexici multa disputavimus; manum operi admovi, post integrum decennium absolvi. Non dicam quoties calamus manu exciderit, oscitantiam ac somnum obrepentem excusserim; libros expilare sola vocabula conquirendo, quae grammatico scalpro seces, est opus negotiosum, et molestiarum oppido plenissimum, at in eos libros bilustri studio incumbere, qui omni lepore destitnti aut veterem crambem male recoquant, aut novitatem praeseferant saepe absurdam, id demum est supplicium adeo exquisitum, quod Horatius, si novisset, parricidae haud dubitasset pro allio cicutis nocentiore decernere. Perfeci tandem aliquando, ad umbilicum perduxi. Atque utinam tibi, quo auspicante iniquum suscepi laborem, eundem iam absolutum pro munere offerre, simulque tuo judicio superbissimo probare possem! Sed quando te ad maiora usque connitentem mors cita confecit, atque excelsas, quas de te conceperamus, spes praecidit, hoc unum mihi superest, ut te, tua consilia, atque incitamenta cum multo grati animi sensu commemorans nominis tui memoriam consecrem; sique aliena laude crescere potes, tecum, quicumque mihi erit partus honor, eum sancte atque amice communicem.

Copticum, quod adhuc in lucem prodiit, Lexicon illud est La-Crozii a Christiano Scholzio editum cum notis Woidii. In eo Basmurica dialectus omnino desideratur; sexdecim pagellis concluditur quidquid est dialecti Sahidicae; Memphitica vero pars solas refert voces, neque tamen omnes, quae in Pentateucho, in Psalmis, atque in Novo

Testamento occurrunt, quibus accedunt nonnulla vocabula ex libris liturgicis decerpta. Quis dicat La-Crozii opus universum Coptici sermonis ambitum esse complexum? Scilicet primum fuit lexici condendi tentamen; primum, inquam, quae maxima est laus, at imperfectum, adeoque retractandum ac novis philologorum studiis supplendum. Accedit quod nullae appareant etymologiae, nullae radices, sed pari ordine alphabetico stirpes, juxta ac derivata, proponantur. Sive igitur methodum consideremus, sive absentiam multarum vocum, et duarum dialectorum, Lexicon La-Crozii nequibat Copticae linguae opes referre, atque ad Pharaonum sermonem nobis aditum patefacere. Quare novum lexicon erat condendum.

In eo concinnando quem scopum mihi proposuerim, quem ordinem sim secutus, eo accuratius mihi explicandum est, quo magis nova libri forma ab illa La-Crozii omnino abscedens facile philologis admirationem movebit. Paucis dicam, me eo spectasse, ut lexicon opportunum philologis, qui Copticae linguae cognitionem sibi comparare volunt, maxime utile foret iis, qui praeterea rem hieroglyphicam ex penitiore Copticarum dialectorum studio, communique origine, explicare aggrediuntur. Si enim solam spectassem utilitatem illorum, qui intra angustos litterarum Copticarum fines desidere amant, vereor, ne parum utilem, ac quasi poenitendam operam navassem. Enimvero quid tandem praeseferunt Coptici libri? Ecclesiae Patrum sermones saepe saepius spurios; perpaucos vero genuinos rectius et facilius legas in graeca veritate. Fragmenta historiae ecclesiasticae, et conciliorum, quorum sincerae partes multis graecis in libris prostant vulgatissimae. Martyrum acta, quae qui edat, is aquam ad mare feret; spuria, ac putidis fabulis interspersa, cuiusmodi multa legi, non moror. Tractationes morales de virtutibus et vitiis, rem non acu et philosophice attingentes, sed mysticas, et crebris anachoretarum exemplis, ceu luminibus, illustratas. Accedunt liturgiae saepe editae, libri apocryphi Novi Testamenti, non primigenii illi a Gnosticis Ægyptie scripti, sed e graeco conversi. Postremos dignitatis causa nomino libros cum Veteris, tum Novi Foederis, in quibus haud diffiteor multum esse adiumenti ad textum codicis Alexandrini recte constituendum. Contractis

hisce terminis universa concluditur Coptica litteratura, quae a Thebaidis monachis profecta atque exculta nunquam laurae claustrum excessit. Quantum monachi in bonis disciplinis excolendis inclaruerint scimus omnes, sed in Europa, atque in Asia, itemque post primum et alterum a vita anachoretica instituta saeculum tantam sibi nominis famam pepererunt. Sed cum istis comparandi non sunt nec prisci, nec Thebaidenses monachi. Nam qui primi rerum humanarum pertaesi deserta loca petierunt, ut ibi sancta caperent oblivia vitae, non litterarum cultum sibi proposuerant, sed unum Deum, in cuius meditatione animum defigerent. Quod si progressu temporis se ad scientiarum studia contulerunt, id factum esse dixerim ex afflatu non solum finitimarum regionum, sed etiam ipsius, quam usurpabant, linguae; Graecus enim et Latinus monachus, seu quia graece vel latine loquebatur, seu quia identidem civitates adibat, quae multas meliorum temporum memorias servabant, nequibat, quin veteres easque optimas litteras, neque homine Christiano indignas cognosceret, ac coleret. Contra Ægyptus, si Alexandriam excipias, longe aberat a scito cultu; Ægyptiae vero litterae nihil Thebaidensi homini proponebant, nisi superstitionem, cui valedixerat, et Sacerdotum doctrinas, a quibus se abdicaverat. Nihil igitur erat in Ægypto, quod monachum ad bonas artes excolendas invitaret. Quare coenobitae Thebaidis maxima floruerint in Deum pietate, at quin doctrina inclarescere potuerint, uti graeci ac latini, omnino vetuit cum vetus, tum nova Ægyptus. Quidquid velificari poterat effusae in Deum religioni scientia destitutae, atque animo prodigiosa consectanti, id in primis amabant anachoretae Ægyptii, ac ceteris, quae graviter et probabiliter essent scripta, longe praeferebant. Hinc spurias narrationes, utpote monstris ac portentis plenas, praeoptare; genuinos Patrum sermones, quia prudenter scriptos, minoris facere; non temporum rationem, non historiae veritatem revereri. Quot ego vidi in Copticis codicibus e graeco conversa seu Martyrum acta, seu Patrum alloquia, quae commune criticorum iudicium explosit! Vidi Ignatium Antiochensem Episcopnm multa Romae disputantem cum Traiano; at Traianus post Parthicam expeditionem numquam Romam rediit. Vidi Constantinum anno 365 in vivis agentem

Hierosolymae Judaeos acri persecutione ad tormenta, ad mortem deposcere, hortatu sororis Eudoxiae, virginis sanctissimae, per me enim licet, sed mitissimam neutiquam dixerim. Pudet cetera vel absurda, vel impia, vel frigida percensere. Ita ne ego bilustri studio lexicon adornarem, ut philologi tandem aliquando cum nausea pervolvere possent quae ego stomachans sensim ac syllabatim legebam? Cum velim, ut omnes pari vitae innocentia emineant, ac boni Thebaidis incolae, tum auguror parcos atque infrequentes fore doctos viros, qui Coptica litteratura illecti in eius fines ita se detrudant, ut nihil supra cogitent. Coptici sermonis studium nihil est, nisi praeparatio ac vestibulum doctrinae hieroglyphicae, ad quam debemus eniti; quare lexicon ita erat condendum, ut opportunum philologis, dum Coptice student, maximam iisdem polliceretur utilitatem, cum ad implexas hieroglyphicae sphingis siglas progressi eas ex intima linguae scientia, atque ultimis originibus erunt soluturi. Davus sum, non OEdipus, aiebat ille; OEdipi sumus, non Davi, aiunt docti per Europam philologi, qui non Shenudii epistolas, sed Pharaonum monumenta ope lexici Coptici interpretanda secum constituerunt.

Video me pro certo posuisse, quod a nonnullis dubitatum est, Copticam linguam ad Ægyptiam, atque ad hieroglyphicorum interpretationem nos manuducere; scilicet expertus id affirmo post Champollionium, ac possem adductis argumentis demonstrare, nisi disputatio me longe a proposito abduceret. Quod si nonnulli dubitarunt, vereor, ne ii aut multam in hieroglyphicis operam posuerint, aut Coptice sciant probabiliter. Saltem ego nonnullos huius sententiae refragatores audivi, qui nec panem nec betam lingua Pachomii nominare sciebant, aut verbum substantivum certo spiritu recitare; quorum ego impudentiam miratus essem, nisi alios audissem de re oeconomica disputantes, arithmeticae tamen ignaros. Est, est, inquam, in sermone Antonii multum momenti ad hieroglyphica Pharaonum declaranda.

Quod si in Coptico lexico condendo prospiciendum erat utilitati philologorum, qui hieroglyphica sunt tractaturi, illud ita erit concinnandum, ut ad suas radices omnia vocabula revocet, et vocales litteras non primo, sed secundo loco habeat. Paucis; Copticum lexicon

ad radices est exigendum, tum vocales minimi facere debet. Quod paullo latius explicare iuvat.

Coptica lingua illa dicitur, quam Ægyptii saeculis Christianis usurpabant; Ægyptia vero quae Pharaonum et Ptolemaeorum aetate frequentabatur. Jam vero nemo ab illa ad istam assurgere poterit, nisi radices, fontes, atque origines ipsas Copticas apprime perspectas habeat; ad haec linguae indolem atque analogiam optime cognoscat. Cum enim linguae in dies mutentur, tum mutationes maxime afficere solent formas, minimum vero radicem ac stirpem, nedum analogiam perimant. Quod exemplo linguae Gothicae nuperrime demonstravit Octavius Castillionaeus inedita Ulphilae fragmenta edens: *vix unum*, ait Vir Cl.[mus] (*), *aut alterum superest linguae Gothicae vocabulum, cui aliud affine aut in recentioribus Germanicis dialectis, aut saltem in vetustiorum reliquiis, non inveniatur.* Cuius propositionis demonstratio luculentissima prostat in Gothico glossario, quod Vir Teutonice doctissimus edidit; in eo enim singula vocabula aliis seu vetustiorum, seu recentiorum dialectorum vocibus illustrata leges. Paria dixerim de lingua Provinciali ex sequioribus dialectis explicanda. Quid plura? Nonne, si linguae Hebraicae lexico careremus, Mosem tamen recte interpretaremur, adhibitis ceteris Semiticis dialectis? At in hac vetustiorum linguarum cum recentioribus comparatione, non formae nominum, aut declinationes, non vocum compositio, aut inflexiones verborum, non denique minuta quaevis accidentia simul conferenda sunt, sed ex analogia, ac radicibus res est decernenda. Ad radices igitur, quas nemo constituet nisi ex analogia linguae, lexicon Copticum est digerendum.

Atqui sermo Copticus adeo regulam servat, ut suas radices non dicam patiatur longo studio investigari, sed ultro offerat. Enimvero in eo radix variis particulis, seu praefixis, seu suffixis comitata varias subinde easque certissimas induit significationes, quin in particulis cum stirpe consociandis aliqua, nisi raro, interveniat crasis, aut thmesis, vel alia grammaticae figura. Omnia circino, atque ad amussim ita sunt

(*) *Ulphilae Gothica Versio Epistolae D. Pauli ad Corinth. Mediolani.* 1829. *p.* IV.

composita, ac commensurata, ut Coptica dialectus non a poëtis, aut ab oratoribus, illustribusve historicis, sed a severis geometris regulae assuetis profecta, ac propagata fuisse videatur. Quod si verum est, ut obiter dicam, certissime denuntio nulla carmina, nullam prosam orationem paullo praestantem apud Ægyptios inventum iri; neque enim aut poësis, aut grandior oratio esse potest, quin simul sive metri, sive rhythmi gratia angulatae formae dialecti collidantur, ac rotundentur. Sacerdotibus Ægyptiis piaculum fuisse carmina condere perhibet Dion Chrysostomus; Sacerdotes nunquam populo permisisse scientias tradunt omnes; scripturae genus saepius ideas, quam vocum sonos, repraesentans vix conducebat metri, aut numeri subtilitatibus scripto exprimendis. Jam cum nulla perpolita prosa oratio esse possit, nisi post excultam poësim, cum litterae et scientiae deflorescant, nedum auctus sumant, ubi sunt singulare alicuius ordinis privilegium, equidem auguror, nos in Ægyptiis monumentis nihil scitum aut elegans esse inventuros, sed theogoniam, religiones, annalia, inscriptiones, syngraphas, omnia ieiuna et squallida oratione exposita. Nilus Ægyptios cogebat esse geometras, cum geometria cohaerent artes, quae solae populo permittebantur; ergo Ægyptias litteras auguror fore geometricas, cuiusmodi est sermo Copticus, ipsaeque artes non adeo pulchri sensum, quam geometriam praeseferre videntur. Malum omen avertat ter maximus Thoth! Sed maxime vereor, ne non vatem infaustum agam, bene vero philosophum, qui effectus cum causis prudenter consociet.

Meliora verba daturus redeo ad stirpes Copticas, quas cum quisque in grammatica mediocriter versatus facile detegere queat, pudor fuisset illas respuere. Nonne dialectorum Semiticarum lexica amamus, quae verba ad suas radices, tamquam rivulos ad fontes revocant? Nonne Henricum Stephanum optime de graeca lingua meritum fuisse iudicamus, quippequi primus voces derivatas, aut compositas, ad suas origines reducere sategit? Dolebant docti Batavi ob desertam Stephani methodum philologos ab interiori linguae graecae cognitione avocatos fuisse ad facilitatem Schrevelii atque Hederici oppido blanditam. Sed rem pressius agamus. Curnam in recentiorum linguarum lexicis

derivata perinde ac radices pari ordine alphabetico proponuntur? Quia linguae hodiernae ex elementis diversi generis coaluerunt, tum ex maximo usu simulque abusu analogiam etiam in vocibus seu formandis, seu diducendis, sunt praetergressae; hinc radices cum multiplicandae, tum saepe ex aliis linguis arcessendae essent; hinc in radicum investigatione certae regulae figi nequirent. E contrario in lexicis dialectorum Semiticarum methodum etymologicam sequimur, quia istae propriis, non adscititiis creverunt opibus; hinc relationes, quae inter derivata et radicem intercedunt, constantes sunt, et ratae; in qua certa proportione exponenda universum grammaticae officium continetur. Addunt nonnulli in dialectis Semiticis ob vocalium absentiam derivata propius admoveri ad stirpes, remque omnem solis consonis confici. Quibus reponerem graecum lexicon, in quo maxime dominantur vocales, rectissime tamen ad etymologias revocari; praeterea in Semiticis linguis saepe consonas ipsas aut quiescere, aut excidere. Quare absentia vocalium tanti facienda non est, quanti analogiae constantia ex elementis omnino homogeneis existens. Quae cum ita sint, utri tandem generi accensenda est Coptica lingua? Si inter Copticas voces numeras quotquot ex graeca lingua saepissime, quandoque vero ex Arabica, et raro ex Persica mutuatae in codicibus maxime Memphiticis leguntur, fateor elementa linguae esse heterogenea, adeoque alphabeticam methodum esse praeferendam. At quis unquam sanae mentis in Copticum lexicon inducendas esse decernat graecas voces Memphitica civitate donatas? Adeo illae graecae sunt, ut graecam faciem, ac desinentiam servent. Arabica vero, et Persica vocabula utpote rara nullum momentum habere debent in methodo lexici constituenda; suis quaeque locis, instar radicum, recenseantur. Supersunt igitur digerendae Copticae voces ab exoticis quibusque elementis discretae. Atqui aio, et centies repetam, relatio inter radicem, et derivata facilius ac splendidius enitet, quam in dialectis Semiticis; nullae excidunt litterae, aut quiescunt, rarae sunt grammaticae figurae; ad haec vocales possunt, immo debent negligi. Ergo nulla alia methodus deligenda esse videbatur, nisi illa radicum etymologica.

Quod dum constituo, aio etiam radicum investigationem nimium

non esse urgendam, quod Dammius fecit in Lexico Homerico. Qui enim ultimas etymologias consectatur, is prono tramite in latissimos coniecturarum campos decurrit, ingeniosas subtilitates uti veras tradit; unde fit, ut in lexico ad origines longe petitas ordinato nemo expiscare possit ullum vocabulum, nisi prius illud quaerat in indice annexo; in quam reprehensionem incurrit Dammius. Argutae originum subtilitates tradantur in scholis, atque in auctoribus interpretandis adhibeantur, at in lexico ordinando nullam vim et auctoritatem habeant; solas sequamur evidentes etymologias, quae ex grammatica sponte efflorescunt. Fuerint monosyllabae, quod Champollionius affirmabat, primigeniae stirpes Copticae; contendo tamen a lexicographo linguam proponendam esse uti est, non uti coniectando auguramur fuisse, atque adeo non coniecturales, sed veras radices in libris obvias exhibendas esse. Si eiusmodi stirpes figantur, quae certum habeant in grammatica fundamentum, studiosus quisque facile derivata sub suis radicibus quaeret, tum futura lexica ad methodum etymologicam ordinata haud multum a meo abscedent; sin origines curiosa subtilitate acuimus, ut sciti videamur, male studiosis consulimus, tum lexica a se ipsis dissentient. Sed longe probabilius mihi verendum est, ne in illorum reprehensionem incurram, qui grammaticae ignari cum velint in tanta studiorum hieroglyphicorum celebritate suam de iis proferre sententiam, meum lexicon improbabunt, utpote sibi impervium, quod frustra pervolvent unam aut alteram voculam perquisituri. Quid iis reponam? Dicam quod sentio; gaudeo vehementer me praetermisisse commoda illorum, quibus maxima sapientia foret prudens silentium. Arrideat illis blanda La-Crozii methodus alphabetica; equidem maxime probo Horatianum illud, *tenerae nimis mentes asperioribus formandae studiis.* Gratificaturus tamen tironibus, qui nimia difficultate non sunt deterrendi, saepe veluti radices admisi illa vocabula, quorum origo haud facile obvia negotium facessere potuisset, tum monui ubi voces illae essent quaerendae. Qua ratione me exemi ab officio contexendi indicis vocum omnium Copticarum, quod de graecis praestiterunt Henricus Stephanus, et Scapula. Quorsum enim indicem infarcivissem vocabulis, quorum origo insignis est ad oculos?

Sin paullo abstrusior, vocabulum suo loco recensetur, addita radice in qua quaerendum est. Eadem in tirones indulgentia permotus nolui ad suas stirpes revocare omnia verba ab initio aucta vel littera ⲧ pro ϯ *dare*, vel ϣ intensivo, et his similia; argui inconstantiae malui, quam iusto asperior videri. Ceterum radices ordine alphabetico disposui, sub radicibus vero derivata, et composita; prima veniunt simplicia neque initio neque in fine ullis aucta litteris, tum servato alphabeti iure sequuntur cetera.

Confeci, ni fallor, lexicon Copticum digerendum esse ad methodum etymologicam; superest, ut demonstrem quod secundo loco posui, vocales litteras minimi esse faciendas. Primum ipse vel adolescens videram; alterum de vocalium aestimatione acceptum refero Champollionii consiliis.

Experientia textuum hieroglyphicorum constat a vocabulis Ægyptiis phonetice scriptis vocales saepe abesse; ergo philologi interpretaturi voces solis consonis scriptas illo lexico opus habent, in quo proximae cohaereant radices omnes ex datis consonis coalescentes. Hieroglyphicae siglae, ut afferam exemplum, tibi exhibent ⲡϫ; hoc non alia ratione recte interpretaberis, nisi sub oculos habeas radices, ac voces omnes, in quibus consonae ⲡϫ cum vocalibus et diphthongis componuntur; habebis porro, si in lexico cohaereant radices et voces ⲡⲁϫ, ⲡⲉϫ, ⲡⲏϫ, ⲡⲟϫ, ⲡⲟⲩϫ, ⲡⲱϫ etc.; cohaerebunt vero, si lexicon ad solas consonas sit ordinatum. Quae interpretandi difficultas longe maior evadit, si altera ex consonis una sit ex iis, quae facile permutantur. Fac te in textu hieroglyphico legisse ϭⲧ, cum scias litteram ϭ coptice etiam facile permutari cum affinibus ⲟⲩ et ϥ, merito suspicaris vocem illam coptice fuisse scriptam non solum litteris ϭⲧ, sed etiam proximis ⲟⲩⲧ, ϥⲧ; quare possibiles omnes litterarum ϭⲧ, ⲟⲩⲧ, ϥⲧ compositiones cum vocalibus et diphthongis tibi perquirendae sunt in lexico, antequam prudens de voce iudicium feras. Qui autem facile perquires, si ordinem alphabeticum etiam in vocalibus secutus tanto intervallo ϭⲁⲧ disiecissem a ϭⲱⲧ, quanto ⲁ distat ab ⲱ? Finge carmina Homeri ad nos ita pervenisse, ut rarae in iis appareant vocales, quaeso, quod tandem lexicon magis opportunum iudicas eiusmodi carminibus interpretandis?

Illud, quod ad solas consonas sit ordinatum, ac subinde exhibeat quasi species vocabula omnia, quae iisdem quidem constant consonis, sed variant in vocalibus. Atqui in textibus hieroglyphicis infrequentes sunt vocales; atqui lexicographus Copticus potissimum consulere debet commodis doctorum, qui hieroglyphica sunt enarraturi. Ergo consonas uti genera aestimavi, vocales uti species, in qnas genera dividuntur; cum in generibus, tum in speciebus ordinandis immota alphabeti iura reveritus sum. Sic, datis consonis ϣⲡ, primo loco posui ϣⲡ, secundo ϣⲁⲡ, tum ϣⲉⲡ, ϣⲏⲡ, ϣⲟⲡ, ϣⲟⲟⲡ, ϣⲱⲡ; sequuntur radices in fine auctae aliqua vocali, ϣⲓⲡⲉ, ϣⲓⲡⲓ, ϣⲱⲡⲉ, ϣⲱⲡⲓ, ϣⲱⲱⲡⲉ. Quare vocabula, ex. gr. ϩⲁⲧⲁⲗⲏ, ϩⲁⲧϭⲁⲗ, ϫⲉⲙⲫⲉϩ etc. ita quaere, ac si solis consonis ϩⲧⲗ, ϩϭⲗ, ϫⲙⲫϩ etc. scripta essent. Neque est quod dicam iura vocalium sancte fuisse servata, quoties illae erant initio vocum; hinc vocabula ⲁⲙⲁⲗⲏϫ, ⲁⲡⲁⲡⲁⲓ, ⲉⲓⲟⲩⲗ, ⲉⲓⲁⲧ, ⲓⲁⲙ, ⲟⲩⲙⲟⲩ, ⲟⲩⲟⲡ, ⲟⲩⲡⲁⲙ etc. quaere quasi essent ⲁⲙⲗϫ, ⲁⲡⲡ, ⲉⲗ, ⲉⲧ, ⲓⲙ, ⲟⲙⲧ, ⲟⲡ, ⲟⲡⲙ etc. Tandem in vocibns, quae ex solis vocalibus coalescunt, primam vocalem ratam habui, uti species sequuntur aliae cum aliis vocalibus compositae; sic initio litterae ⲁ habes continuo ordine ⲁ, ⲁⲁ, ⲁⲉⲓⲱ, ⲁⲓ, ⲁⲓⲁⲓ, ⲁⲟⲩⲱ, ⲁⲩ, ⲁⲩⲱ, tum incipit ⲁϭ; pariter in littera ⲟ statim habes ⲟ, ⲟⲓ, ⲟⲩ, ⲟⲩⲁ, ⲟⲩⲁⲁ, ⲟⲩⲁⲉ, ⲟⲩⲁⲓ etc., tandem venit ⲟϭ; et sic de ceteris vocibus, quae ex solis vocalibus coalescunt.

Ordinem, quem in lexico digerendo secutus sum, seclusis vocalibus, explicavi; sed audio quod dicant. Ergo tu vocalinm omnium iugulator analogiam linguae Copticae conturbasti, indolem peremisti, aliamque nobis obtrndis ab ea, quae revera est. Ego ne conturbavi? peremi? Immo illnstravi; immo analogiae linguae sum obsecutus, indolem evidentius expressi, atque omnino contendo te nihil in Coptico sermone intellecturum esse, si universas eius vocales revereris iuxta ac consonas. Age, quid tandem notant verba ⲉⲣ, ⲣ̄, ⲉⲓⲣⲉ, ⲉⲓⲣⲓ, ⲓⲣⲓ? Valent *facere*. Quid ⲉⲛ, ⲛ̄, ⲉⲓⲛⲉ, ⲉⲓⲛⲓ, ⲓⲛⲓ? *Venire*, *ire*. Quid ⲙⲁⲥϯ, ⲙⲟⲥϯ, ⲙⲟⲥⲧⲉ, ⲙⲉⲥⲧⲱ, ⲙⲉⲥⲧⲉ? *Odisse*. Ita ⲛⲟϩⲉⲙ, ⲛⲟⲩϩⲉⲙ, ⲛⲁϩⲙ, ⲛⲉϩⲙ notant *servare*; uti ⲛⲉϫ, ⲛⲏϫ, ⲛⲟϫ, ⲛⲟⲩϫ, ⲛⲟⲩϫⲉ *iacere*. Unde nam tanta scribendi varietas in vocalibus, quin significatio mutetur? Quia vocales ad radicem non pertinent; radices vero positae sunt in solis

consonis ⲣ, ⲛ, ⲙⲥⲧ, ⲛϩⲙ, ⲛϫ — Reponis; atqui vocales saepe formam et notationem verbi afficiunt; ita ⲛⲟϩⲙ est forma verbi absoluta, ⲛⲁϩⲙ forma cum suffixis constructa; in ⲛⲟϫ habes formam activam, in ⲛⲏϫ passivam — Aio rem non ita semper se habere, ac persaepe ⲛⲏϫ idem esse atque activum ⲛⲉϫ perperam elemento ⲏ ab imprudentibus amanuensibus scriptum. Sed indulgentissime largiar quod affirmas. Ergo ne quia vocales in Semiticis dialectis non raro inter se distinguunt formas absolutas, constructas, activas, et passivas unius eiusdemque radicis, ad haec discriminant varias coniugationes Kal, Pinel, Punal, lexica Hebraica atque Arabica imprudenti consilio ad solas consonas ordinantur? Quia tres consonae דבר pro diversis vocalibus notant *duxit*, *ducens*, *locutus est*, *dictum est*, *verbum*, *pestis*, censes ne vocales hebraicas tanti esse aestimandas, quanti consonas? Vocales discriminant dialectos, tamen Henricus Stephanus tot radices non admisit, quot ex variatis vocalibus existunt formae vocum. Paucis; sermonis Coptici natura non differt ab illa dialectorum Semiticarum, ergo lexica paria esse debent. In iis vocales vel sunt radicales, vel non. Si ad radicem non pertineant, neque est cur de iis omissis conqueraris, omittendae enim erant; si vero pertinent, eae inter consonas conspicuae apparent sub ementita forma litterarum אוי. Persimili modo apud Coptos radix ϣⲗϩ vocalibus caret, quia nullas habet proprias, uti facile ex derivatis ϣⲟⲗϩ, ϣⲱⲗϩ, ϣⲗⲉϩ, ϣⲗⲏϩ intelligitur. Radices vero ⲙⲁⲧⲁⲧ, ⲙⲟⲧⲧ, ⲙⲱⲓⲧ ideo vocales ostentant, nec in unam radicem ⲙⲧ compingi possunt, quia vocales ad radicem spectant, uti sive ex varia earum significatione, sive ex derivatis colligitur. Quoties igitur vocales sunt radicales eas certissimo in radice ipsa reperies, nequibam enim eas expellere; sin secus, eas ex radice extrusi quando alicuius textus lectio, ut aiunt, defectiva mihi suppetebat; in radice exhibui, si nulla mihi demtae vocalis suffragaretur auctoritas. Rem tamen ita secum reputent tirones. Coptici sermonis natura ita comparata est, ac si, omnibus absentibus vocalibus, solae inter consonas adsint litterae אוי; uti in linguis Semiticis, quae incertarum vocalium praesentiam testantur, atque inter se ad statas regulas commutari solent. Sic radices ⲕⲉϩ *rumpere*, et ⲕⲱϩ *aemulari*, solis vocalibus invicem distinctas, scriptas

reputo pro אֵה, et אֶה. Quod adeo verum est, ut in scriptura phonetica tres tantum litterae vocales appareant, quas Champollionius cum elementis אוי merito comparavit. Cum itaque vocales ad essentiam linguae Copticae non pertineant, èas minimi ego faciens radices in lexico ordinavi ad consonas, ita ut consonae constituant genera, vocales vero quae intra easdem consonas inseri possunt, exhibeant species. Hinc ex. gr. ⲙⲧ est genus, sub quo quaeres species ⲙⲁⲟⲩⲧ, ⲙⲁⲧⲁⲧ, ⲙⲉⲧ, ⲙⲉⲩⲧ, ⲙⲏⲧ, ⲙⲓⲧ, ⲙⲟⲉⲓⲧ, et similia, servato ordine alphabetico vocalium inter ⲙ et ⲧ insertarum.

Utraque methodus etymologica radicum, et Semitica neglectarum vocalium, commodam mihi obtulit trium dialectorum, Sahidicae, Memphiticae, et Basmuricae coniunctionem, quarum varietas saepe in solis variatis vocalibus est posita. Omnino enim coniungendae mihi videbantur in uno eodemque Lexico. Ita communis earum origo vel oculis legentium subiiciebatur; linguae historia et indoles ex perpetua dialectorum comparatione ultro emicabat; radicum significatio triplici auctoritate vel confirmabatur, vel magis magisque evolvi poterat; studiosus uni dialecto dans operam simul assuescit reliquis duabus aestimandis; tandem hac fusione consultum ibam utilitati philologorum, qui hieroglyphica tractabunt. Enimvero, quemadmodum Homerum enarraturus magis proficies eo lexico, quod graecas dialectos coniunctas exhibeat, quam illo, quod discretas in quatuor fasciculis exponat; ita Pharaonum sermonem nondum, uti augurari licet, in dialectos divisum rectius aestimabis, si lexico utaris, quod tres Copticas dialectos grammatico foedere consociet. Ne tamen confunderentur dialecti, post enunciatas vel radices, vel voces derivatas, addidi siglas *T. M. B.*, quae notant cuinam dialecto, Thebanae ne, vel Memphiticae, aut Basmuricae vocabulum illud sit accensendum.

Post siglas dialectorum indices sequuntur significationes; primas ac proprias praemisi derivatis, aut translatis, ut cuiusque vocabuli quandam quasi historiam exhiberem. Quamquam, ut verum fatear, rarae sunt radices, quae multis ac dissimilibus luxurient notionibus; quod novo argumento evincit Copticum sermonem non poëtarum quidlibet audentium ingenio crevisse, quemadmodum de Arabico constat, in

quo tanta est notionum secum adversantium luxuries, ut in iis conciliandis, dixerim etiam per vim cuneandis, laborent lexicographi. Significationes radicum Copticarum perpaucae sunt, secumque connexae; ergo linguae incrementa debentur severis geometris, qui humilis prosae orationis fines haud excesserunt.

Si varia, vel singularis esset verbi constructio, diligens monui, adductis etiam exemplis. Neque enim erat, cur activa verba construi solita cum accusativo docerem cum quarto casu coniungenda esse, aut verba cum ϯ *dare* composita adnotarem cum dativo esse consocianda.

Singulas notiones idoneis auctoritatibus confirmavi; ex multis vero a me adnotatis in adversariis meis illas selegi, quae essent certissimae, nominis genus adiunctum haberent, aut verbi construendi modum. Integros textus in medium protuli, quoties aut clariora constructionis exempla exhibenda videbantur, vel vox paullo rarior in suo, quo iacebat, contextu esset exponenda. Quorsum enim libri molem auxissem longas librorum editorum auctoritates adducens? Si vox, si genus, si constructio, si notiones, et similia certa atque explorata sunt, tum confirmata ex indicatis librorum locis, curnam copiam affectassem in re apertissima?

Tandem quoties radix ad unam tantum dialectum pertinebat adnotavi stirpem, quae in reliquis duabus dialectis ei respondebat; quandoque etiam addidi radices affines, quas fortasse aliquis suspicari posset esse derivatas.

Coptici libri, seu typis, seu manu descripti, quorum ego vocabula collegi, atque indicem mox dabo, abunde testantur quantopere contenderim, ut lexicon omnem Coptici sermonis amplitudinem complecteretur. Editos libros blandior mihi omnes ad unum habuisse. Ex codicibus Taurinenses omnes legi, tum Parisienses qui aliquem verborum proventum polliceri videbantur. Si qui vero sunt qui iudicent a me lexicon prius edendum non fuisse, quam codices etiam Oxonienses et Vaticanos excussissem, iis ego repono, saepe nos meliora, aut optima, anxie consectantes perdere iam parta bona. Grande Jobaeae patientiae documentum dederam decenni opera eos libros

syllabatim legens, quos nulla stili amoenitas, aut rerum peregrinitas commendabat; quod si duo longa ac contraria itinera suscipere debuissem, ut veterem molestiam nova cumularem, vereor, ne post vires exhaustas in congerenda materia, nullae mihi superessent in ea digerenda. Praeterea codex meus assidua manu pervolutatus in frusta abibat, tum schedae inter pagellas insertae facile conturbabantur atque avolabant; codicem igitur male mulcatum novo multorum mensium taedio debuissem ex integro describere, ut liber existeret, quem citra periculum tractare possem. Quorsum vero tanta taedia, itinera, ac pericula pertinuissent? Ut domum redirem cum sterili messe; neque enim augurabar me multas voces esse collecturum. Et sane nullus Oxonii, aut Romae codex Basmuricus servatur, qui lucem non viderit; maximam partem Memphitici sunt, pauci Sahidici. Porro Memphitici sive quia recentiores sunt, sive quia Memphis prope abest a Delta graece loquente, multis scatent graecis vocabulis, maxime ubi vegetantia, animalia, utensilia, suppellex et similia communis vitae sunt nominanda. Quod vero attinet ad ceteras voces, tot Memphiticos textus excussi, ut in postremo a me lecto vix aliquot addendas voculas invenerim, atque augurer reliquos mihi invisitatos non multam spem facere inauditorum vocabulorum. Codices Sahidicos, fateor enim, maxime percuperem, quippequi parce utuntur graecis vocibus, et semper novi aliquid mihi obtulerunt; verum habui septem Taurinenses, qui mihi multorum Parisiensium Memphiticorum instar sunt, habui Zoëgam, aliosque, ut Thebanae dialecto multam lucem attulisse credam.

Quae mihi in Lexico concinnando constituta fuerint hucusque disserui; an quod volui assecutus sim nescio, seu potius infra scopum mihi propositum substitisse maxime dubito. Quis enim adeo sibi blandiatur, ut se numquam errasse neget, aut optimam ideam mente praeconceptam revera expressisse credat? Quod si nonnulli vocem aliquam derivatam a me omissam adnotaverint, vel, novis opibus Copticis inventis, nova vocabula addenda repererint, ii meminerint facile esse inventis addere.

INDEX

LIBRORUM COPTICORUM

QUORUM AUCTORITATE VOCABULA EORUMQUE SIGNIFICATIONES
IN HOC LEXICO ADDUCUNTUR ET EXPLICANTUR
ADDITIS SIGLIS QUIBUS LIBRI IPSI ALIAQUE DESIGNANTUR.

LIBRI VETERIS TESTAMENTI

Quinque libri Moysis prophetae in lingua Ægyptiaca, descripsit ac latine vertit David Wilkins. Londini 1731. Dialectus est Memphitica. — Gen. Exod. Levit. Num. Deut.

Psalmi Davidis Coptice et Arabice. Romae 1744. Ad usum Ecclesiae Copticae edidit Tukius non sine operarum mendis. Dialectus est Memphitica. — Psal.

Praecedenti Psalmorum editioni accedunt in fine Cantica Mosis, Annae, Ezechiae, Manassis, Jonae, aliorumque, quae omnia sum complexus sigla *Psalt.*, seu Psalterii, cuius paginae citantur. Dialectus est Memphitica. — Psalt.

Proverbia Salomonis, vide infra ad Papyrum VII. — Prov.

Sapientia Salomonis. Codex membranaceus Taurinensis antiquissimus, paucis scatens lacunis; libri versiculi sunt 1064, quos citavi. Dialectus est Sahidica. — Sap.

Sapientia Siracidis, quae in praecedenti codice Taurinensi servatur. Primi quaterniones male mulcati frequentes habent lacunas. Citavi capita, et versiculos, ad fidem Graecae editionis Romanae. Dialectus est Sahidica. — Sir.

Ezechielis Prophetae liber. Codex Memphiticus in R. Bibliotheca Parisiensi asservatus. — Ezech.

Specimen versionum Danielis Copticarum, Nonum eius caput Memphitice et Sahidice exhibens, edidit Frid. Munter. Romae 1786. Vir Coptice non bene doctus menda admisit. — Dan.

Tandem librorum Josue, Judicum, Regum, aliorumque multa fragmenta Memphitica, lectionum instar ecclesiasticarum, habentur in sex voluminibus liturgicis Romae editis annis 1736-61-62-63 ad usum Ecclesiae Copticae, quae continent Rituale, Euchologium, Anaphoras, aliaque eiusmodi Coptice, et Arabice. Biblicas lectiones omnes perlegi, earumque vocabula excerpsi; non item preces quotquot exhibent sex volumina. Praeterquamquod enim tot

occurrunt graeca vocabula, ut quandoque graece legere crederes, Copticae voces usque caedem recurrunt, quippe eaedem ideae seu precantis, seu deprecantis, paucis mutatis, semper enunciantur. Quare contentus complures pagellas in singulis voluminibus perlustrasse, quae vix aliquem proventum tulerunt, ceteras neglexi. Caveant vero tyrones a multis typothetarum mendis facile obviis hisce in voluminibus.

LIBRI NOVI TESTAMENTI

Matth. Marc. Luc. Joh. etc. — *Novum Testamentum Ægyptium, vulgo Copticum, descripsit, et in latinum sermonem convertit David Wilkins. Oxonii* 1716. Dialectus est Memphitica.

Matth. Marc. Luc. Joh. Act. Rom. etc. — *Appendix ad editionem Novi Test. Graeci ... a Carolo Woide descripti, in qua continentur Fragmenta Novi Testamenti ... Thebaica, vel Sahidica, cum Dissertatione de Versione Bibliorum Ægyptiaca. Oxonii* 1799. Librorum citationes semper accentu imposito distinguuntur, ne cum illis Memphiticis confundantur.

Hisce Fragmentis Sahidicis addenda sunt — 1.° nonnulla Capitula Evangelii Marci, quae Mingarellius vulgavit in tertio fasciculo, cui titulus *Ægyptiorum Codicum reliquiae Venetiis in bibliotheca Naniana asservatae;* huius fasciculi editionem auctor morte praereptus absolvere nequivit. — 2.° *Munteri Commentatio de indole versionis Novi Testamenti Sahidicae. Accedunt fragmenta Epistolarum Pauli ad Timotheum. Hafniae* 1789. — Alia Sahidica fragmenta, quae huc revocari possent, edita a Georgio, Mingarellio, aliisque, citantur aliis siglis *Frag. Ming.* etc., quas vide.

ALII LIBRI

B. — *Basmurice*, seu Basmurica vox.

Cod. Par. 44. et 43. — *Codex R. Parisiensis bibliothecae n.°* 44. distinctus, bombycinus, foliorum 190. Continet Scalam (vide infra ad siglam *Kir.*) Sahidicam, in qua selectae voces, saepe etiam phrases, Veteris et Novi Testamenti Thebani, et librorum liturgicorum, illustrantur vocibus et phrasibus Arabicis; non raro additur graeca vox copticis litteris scripta. — Codex 43. eiusdem bibliothecae minorem Scalam, plerumque Memphiticam, exhibet.

Fragm. — *Fragmentum Evangelii S. Johannis Graeco-Copto-Thebaicum, opera Georgii. Romae* 1789. Citantur pagellae libri, qui alia multa Coptica complectitur.

Kir. — *Kircherii Lingua Ægyptiaca restituta. Romae* 1643. Praeter alia edita est *Scala Magna, hoc est Nomenclator Ægyptiaco-Arabicus cum interpretatione latina.* Scalae dicuntur glossaria Copto-Arabica, in quibus Copticae voces, et quandoque phrases, Arabicis vocibus et phrasibus redduntur. Nam, antiquato

Coptico idiomate, Ægyptii Monachi, qui sacros libros et liturgias Coptice legebant, censuerunt, ut indoctis fratribus consulerent, glossaria difficiliorum vocum et dictionum esse concinnanda. Eiusmodi Scalae maiores, vel minores, frequentes offenduntur in bibliothecis; omnes in eo consentiunt, quod mendis scatent, maxime si apographa sint. Kircherus duas edidit Scalas; codicis Vaticani erroribus addenda sunt sphalmata operarum, et quandoque praepostera latina versio interpretis, quae facile condonanda est philologo, qui primus incognitam linguam illustrabat. At omnino improbanda est eius audacia, dum proprio marte vocabula codici ignota in editionem intrusit, qua de re lege *Quatremere Recherches sur la langue et la litterature d'Egypte p.* 53. Scalam magnam citans saepe emendavi errata codicis, vel editoris; quandoque vero, cum nulla mihi succurreret probabilis lectio, textum exscripsi cum Arabica glossa, praesertim ubi Arabicae voces vel perperam redditae essent, vel inauditae. Libri longe rarissimi exemplar debeo humanitati J. Klaproth Viri cl. cuius singularem Orientalium linguarum doctrinam miramur omnes.

Lexicon Ægyptiaco-Latinum collectum a Maturino Veyssiere La-Croze. Oxonii 1775. Citantur pagellae libri. La-Croze

Memphitice, seu Memphitica vox. M.

Ægyptiorum Codicum Reliquiae Venetiis in bibliotheca Naniana asservatae. Fasciculus I. et II. *Bononiae* 1785. De Fasciculo tertio vide quae dixi supra ad *Fragmenta Novi Testamenti Sahidica.* Ming

Notices et Extraits des Manuscrits de la bibliothèque Imperiale. Paris 1810. Volumen octavum pag. 220 exhibet *Daniel et les douze petits Prophètes, Manuscrits Coptes, par E. Quatremere.* Not.

De Miraculis S. Coluthi, et reliquiis actorum S. Panesniv Martyrum Thebaica fragmenta ... opera Antonii Georgii. Romae 1793. Alia multa Coptica fragmenta passim in adnotationibus edita leguntur. Pan.

Papyrus Primus Taurinensis, foliorum 63, tenet 1.° Martyrium S. Ignatii Antiochiae Episcopi spurium, et fabellis scatens; praeter cetera absurda, refert longos sermones, qui Ignatium inter et Traianum Romae intercesserunt, tum varia tormentorum genera, quibus Imperator Martyris constantiam vincere aote extremum supplicium confidebat. Nihil tale habent eius acta sincera a Cottelerio (*Patres Apostolici*) edita; constat enim Traianum post Parthicam expeditionem numquam Romam rediisse. — 2.° Martyrium S. Gioore (ϫⲱⲱⲣⲉ) pastoris ovium, ex vico Gingeh (ϫⲓⲛϫⲏϭ) die XV Choiac. — 3.° Historiam, seu potius fabulam virginis Eudoxiae Imperatoris Constantini sororis, quae, post Persas a fratre devictos, Hierosolymam contendit ad sacra loca instauranda simulque ornanda; ibi fratrem suasit, ut persecutionem in Judaeos moveret, nisi baptismum susciperent; haec vero contigerunt anno 365. post Christi resurrectionem. Pap. I.

Hic, aliique infra describendi Papyri in arca constipati ad nos ab Ægypto delati sunt, quam cum ego aperuissem, infandam vidi ac deploravi Papyrorum cladem. Maxima usus patientia in tractandis fragilibus foliis volumina quaeque, seu potius diversorum voluminum fragmenta collegi, distinxi; quae

subinde ab accurata manu agglutinata fuerunt supra chartam maxime tenuem ac pellucidam. Papyri omnes Sahidici sunt.

Pap. II. *Papyrus Secundus Taurinensis*, *foliorum* 54. Exhibet *Hypomnemata (Acta) Servatoris conscripta sub Pontio Pilato Praeside*, quo nomine venit Evangelium Nicodemi saepe editum, tum non ita pridem vulgatum a Carolo Thilo *Codex Apocryphus Novi Testamenti. Lipsiae* 1832. *vol.* 1. *pag.* 490 *sq.* Thebanus textus multis graecis vocibus scatens graecam redolet originem; variantes frequentes sunt.

Pap. III. *Papyrus Tertius Taurinensis.* Tenet Sermonem in Johannem Baptistam, cuius res gestae fuse narrantur. — Vitam Apae Aphu (ⲁⲫⲟⲩ) Anachoretae, et Episcopi urbis Pemge, ad diem XXI. mensis Thoth. — Martyrium Sanctae Heraei (ϩⲏⲣⲁⲉⲓ) — Historiam de Archiepiscopo Apa Theophilo — aliaque.

Pap. IV. *Papyrus Quartus Taurinensis*, *foliorum* 95. Continet Sermones morales, Sententias Synodi Nicaenae, tum Vitam Athanasii spuriam.

Pap. V. *Papyrus Quintus Taurinensis*, *foliorum* 49. Tenet Vitam S. Hilarionis, quae plane consentit cum illa, quae Hieronymo auctori tributa edita est in eius operibus tom. II. pag. 14. ed. Venetae 1767. Excipe tamen, quod nostra Epistolae, vel Allocutionis ad Fratres speciem praesefert, nam interdum haec phrasis occurrit *Vobis*, *dilecti fratres*, *aliud miraculum referam*; fusior etiam est in nonnullis, minimis tamen, adiunctis persequendis. Graecis vocibus interspersa translata fuit a graeca versione Sophronii, de qua lege Maurinos Patres in *Admonitione in vitas Pauli*, *Hilarionis*, *et Malchi*.

Pap. VI. *Papyrus Sextus Taurinensis.* Tenet Sermones morales, tum Martyrium S. Ptolemaei ad diem XI. Chniak, passus hic est anno 20. Diocletiani.

Pap. VII. *Papyrus Septimus Taurinensis.* Tenet lacinias Papyrorum varii generis, ex quibus unus complectebatur librum Proverbiorum, cuius pauca fragmenta supersunt.

Q. *Recherches Critiques et Historiques sur la langue et la litterature de l'Egypte par E. Quatremere. Paris* 1808. Inserta leguntur fragmenta Basmurica in Parisiensi bibliotheca asservata.

Rossi *Ignatii Rossi Etymologiae Ægyptiacae. Romae* 1808. Utilem navavit operam Ignatius Rossi ea vocabula recensendo, quae Copti ex Perside aut Arabia evidenter sunt mutuati; optime etiam meruit quoties Copticarum vocum compositarum etyma in lingua ipsa Coptica perquisivit, quandoque etiam feliciter Copticas cum Hebraicis radicibus compararit; at vereor, ne intemperantior fuerit in urgendis affinitatibus linguae Copticae cum dialectis Semiticis; tot permutat, addit, demit litteras, ut etiam cum Sinensi sermone comparationem instituere potuerit.

T. *Thebaice*, seu vox Thebaica, vel, si mavis, Sahidica.

Tuk. *Rudimenta linguae Coptae sive Ægyptiacae*, *auctore Raphaele Tuki. Romae* 1778. Multa ibi citantur loca seu Veteris seu Novi Foederis Thebaice et Memphitice; frequentia occurrunt menda cum auctoris non bene in lingua Coptica versati, tum operarum.

Catalogus Codicum Copticorum manuscriptorum, qui in Museo Borgiano Velitris adservantur, auctore Georgio Zoega. Romae 1810. Liber constat pagellis 659. A pag. 1 ad 138 sunt codices Memphitici; a pag. 139 ad 168 codices Basmurici; a pag. 169 ad finem codices Sahidici. Editor Coptice doctissimus complures codices Sahidicos suis adnotationibus illustravit, quin tamen versionem latinam subiungeret, uti in Memphiticis fecerat. Qui Zoegae librum syllabatim non legerit, frustra ille confidet se posse Copticum lexicon concinnare; at lectio integrum saltem biennium requirit. Eosdem codices Basmuricos rectius legit, atque edidit Engelbreth in opere, cui titulum fecit: *Fragmenta Basmurico-Coptica Veteris et Novi Testamenti, quae in Museo Borgiano Velitris asservantur. Havniae* 1811. Z.

Woidii de Versione Bibliorum Ægyptiaca Dissertatio praemissa editioni Fragmentorum Sahidicorum Novi Testamenti, nonnulli ibi Coptici textus prostant editi. W.



ⲁ

КОПРНТ *M.* Vicus Nomi Ptenelo, Graecis dictus Κοπρίθης *Z.* 136. *Vide Champollion l'Égypt. sous les Phar.* ii, 232.

КЄПТО *T.* Coptos, *urbs Ægypti notissima Arabibus dicta* قفط Keft *Cod. Par.* 44. *fol.* 79. *De ea vide Champ. l'Égyp. sous les Phar.* i, 223.

— кϵбтω *T.* Idem *Cod. Paris.* 43. *fol.* 58.

— мптктптаιоп *T.* Coptice, Linguâ Coptâ *Z.* 648.

— кϵϥт *M.* Coptos *urbs Z.* 41. 42. *Kir.* 211.

КНЄПϢШ *T.* Solum incultum, arenosum *Hos.* x, 4. *apud Rossi* 243. кн ϵпϣω positus in arena.

— кϵпϣо *T.* Idem, отсωϣϵ ϵскϵпϣо χέρσος ἀγροῦ Ager desertus, incultus *Hose.* xii, 11. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 116.

— капϣа *T.* п. Terra inculta *Z.* 649.

— χапϣω *M.* Idem *Rossi* 243.

КЄР *M.* пι الورك Coxa, Ilion, Clunes *Kir.* 78.

КОТР *M.* от Surdus *Exod.* iv, 11. *Levit.* xix, 14. *Pan.* cxxxi, cxlvi.

— катрι Surda *femin. Psal.* lvii, 4.

— ϵркотр Obmutescere *Psal.* xxxviii, 2. *Kir.* 401.

— мϵткотр ϯ Surditas *Kir.* 159.

КОТР *M.* от Alapa.

— ϯкотр, ϯ поткотр Dare alapam, Colaphis caedere *Matth.* v, 39. xxvi, 67. *Joh.* xviii, 22. xix, 3.

— ϣϵлкотр Alapae percussio *Rossi* 226.

КРО *T.* пϵ πέρας Finis *Sap.* 387. Litus *Act.* xxi, 5. *Tuk.* 117. пϵт ϩι пϵкро χερσαῖα terrestria, mediterranea *Sap.* 1059. (*M.* χро).

— крωот ϩп πέρατα Fines *Cod. Par.* 44. *fol.* 72. Litora, Ripae *Sir.* xxiv, 14. *Ming.* 116. *Z.* 632.

— ϵпϵкро εἰς τὸ πέραν Ultra, Ulterius, Trans *Màtth.* viii, 28. xix, 1. *Jòh.* x, 40. — ϵпιкро Idem *Jòh.* xviii, 1. — ϩι пϵкро Trans *Tuk.* 76.

КАРІА *M.* от Patina grandior, Paropsis *Kir.* 150. *Est Arabicum* تغارية magna patina *Rossi* 80.

КАРШ *vide* ка.

КАРШ *T.* καρναβαδιν, ανιθωον الشبت *Cod. Par.* 44. *fol.* 82. *Est graecum* κάρος Herba carus, Carum, Cuminum pratense; *Arabica glossa notat* Anethum graveolens.

ⲔⲀⲒⲢⲈ *T.* ⲧ. παρυξ (*lege* λαρύγξ) الحلق *Cod. Par.* 44. *fol.* 69. Larynx, Guttur.

ⲔⲀⲒⲢⲈ *T.* ⲉⲛ̅ الجوز Nuces *Cod. Par.* 44. *fol.* 81. *Est graecum* καρύα Nux.

— ⲕⲟⲓⲣⲓ *M.* ⲛⲓ Nuces *Kir.* 177.

ⲔⲀⲨⲢⲒ *vide* ⲕⲟⲩⲣ Surdus.

ⲔⲈⲢⲈⲀ *M.* † Instrumentum quo raduntur ollae *Kir.* 130.

ⲔⲞⲢⲒ *M.* Cataractae, Fenestrae *Kir.* 153.

ⲔⲞⲒⲢⲒ *vide* ⲕⲁⲓⲣⲉ Nuces.

ⲔⲞⲞⲢⲈ *T.* Abscindere, Evellere *Matth.* III, 10. VII, 19. *Ming.* 267.

— ⲣⲉϥⲕⲱⲱⲣⲉ ⲙ̀ⲙⲁⲛϣⲏⲛ ὑλοτόμος Caesor silvarum *Sap.* 693.

ⲔⲞⲢⲂⲒ *M.* † Scalprum, Culter *Kir.* 132.

— ϫⲣⲟϥⲓ *M.* † (*sed* ⲡⲓ *Kir.* 127) Culter *Z.* 650. *n.* 60. *At, auctore Kirchero p.* 127. *est* Falx; *revera respondet graeco* δρέπανος *in loco vitae Macarii laudato a Rossi* 247.

ⲔⲢⲒⲂⲒⲤ *M.* † Orobus, ὀροβράγχη *Kir.* 193.

ⲔⲞⲢⲐⲞⲨ *M.* Allium masculum, quod est Allium serpentis *Kir.* 199. *a Graecis dictum* ὄφιος κόρδον. *Sed Rossi* 92. *censet esse* σκορδόπρασον Allioporrum. *Equidem credo* ⲕⲟⲣⲑⲟⲙ *esse vocem corruptam a* κόρδον.

ⲔⲢⲀⲔⲞⲨ *M.* ⲡⲓ الكحريت Salis species *Kir.* 205.

ⲔⲀⲢⲞⲨⲔⲒⲚ *M.* ⲡⲓ Ferculum sarcinarum, Gestatorium *Kir.* 137.

ⲔⲞⲢⲔⲒⲤⲒ *M.* ⲡⲓ Colocasia *Kir.* 197.

ⲔⲞⲢⲔⲤ *M.* ⲟⲩ Annulus, Uncus *Z.* 654. *n.* 85. *Pan.* LXIX. *Rossi* 92. *Est* κίρκος *graecorum.*

— ⲕⲣⲟⲥ Idem *Rossi* 92.

ⲔⲢⲀⲨ *M.* ⲡⲓ Apium silvestre, Cartamus silvestris *Kir.* 193. 195.

ⲔⲰⲢϢ *T.* ⲡ. Fumus *Z.* 437. *not.* 55.

— ⲉϥⲕⲣⲙⲣⲱⲙ *T.* σταχτοχρον مسود اللون *Cod. Par.* 44. *fol.* 67. Niger, Fuligineus.

— ⲉⲧⲕⲣⲙⲣⲱⲙ *T.* المسود *Cod. Par.* 44. *fol.* 91. Idem.

— ⲉⲧⲕⲣⲉⲙⲣⲱⲙ *M.* غبش Cinereus خشن Asper *Kir.* 232, *ubi male editum est* ⲉⲕⲣⲉⲙⲣⲱⲙ.

— ⲕⲣⲙⲧⲥ *T.* ⲡⲉ Fumus, Caligo *Z.* 330. *Pap.* V, 50. *Cod. Par.* 44. *fol.* 87. (*M.* ϫⲣⲉⲙⲧⲥ).

— ⲕⲉⲣⲙⲓ *M.* † Cinis *Num.* XIX, 9. *Deut.* XXVIII, 24. αἰθάλη Fuligo *Exod.* IX, 8.

— ⲕⲧⲣⲙⲓ *B.* ⲡ. Cinis *Z.* 162.

— ⲕⲣⲙⲉⲥ, ⲕⲉⲣⲙⲉⲥ *T.* ⲡ. Cinis *Sir.* X, 9. XVII, 32. XL, 3. *Z.* 576.

— ⲣ̅ⲕⲣⲙⲉⲥ *T.* Cinis esse, fieri *Z.* 533.

ⲔⲈⲢⲘⲀ *M.* *Est graecum* κέρμα Numulus.

— ⲣⲉϥⲉⲣⲕⲉⲣⲙⲁ κολλυβιστὴς Numularius *Matth.* XXI, 12.

— ϥⲁⲓⲕⲉⲣⲙⲁ κερματιστὴς Numularius *Joh.* II, 14. 15.

ⲔⲈⲢⲘⲒ, ⲔⲨⲢⲘⲒ *vide* ⲕⲁⲣⲙⲓ.

ⲔⲢⲘⲢⲘ *T.* γογγύζειν Murmurare, Murmur edere, Conqueri *Sir.* X, 25. XXXIV, 24. *Luc.* XV, 2. *Ming.* 178. (*M.* ϫⲣⲉⲙⲣⲉⲙ).

— ⲕⲣⲙⲣⲙ ⲡ. γογγυσμὸς Murmur *Sir.* XLVI, 7. *Act.* VI, 1. I. *Petr.* IV, 9.

— ⲕⲣⲟⲙⲣⲙ Idem *Z.* 530.

— ⲣⲉϥⲕⲣⲙⲣⲙ Murmurans *Jud.* I, 11. 16. *Z.* 336.

ⲔⲢⲘⲢⲞⲨ *vide* ⲕⲱⲣⲙ.

ⲔⲢⲘⲈⲤ, ⲔⲢⲘⲦⲤ *vide* ⲕⲱⲣⲙ.

ⲔⲀⲢⲀⲠⲒⲠ *M.* Upupa *Kir.* 169.

ⲔⲢⲞⲨⲢ *T.* ⲡⲉ Rana *Sap.* 1038. *Ming.* 116. 122. (*M.* ϫⲣⲟⲩⲣ).

ⲔⲢⲀⲨⲢⲀ *T.* Fuscinula I. *Reg.* II, 13. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 109. ⲟⲩⲕⲣⲁⲩⲣⲁ ⲛ̀ϣⲟⲙⲛⲧ κρεάγρα τριόδους Fuscinula tridens. *Kir.* 127. *habet* ⲕⲁⲣⲓⲣⲁ Uncinus, Fibula ferrea.

ⲔⲈⲢⲤ *M.* ⲡⲓ Piscis species *Arabibus dicti* شال *Kir.* 171.

ⲔⲢⲞⲤ *vide* ⲕⲟⲣⲕⲥ.

ⲔⲈⲢⲤⲞ *T.* ⲡ. πυλὼν Vestibulum, Pars anterior domus الرواق III. *Reg.* VI, 8. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 110.

ⲔⲀⲢⲀⲈⲒⲦ *vide* κⲁⲣⲟ *in* κⲱ.

ⲔⲞⲢⲦⲈⲚ *M.* πι Sedum, Sempervivum *herba Kir.* 198.

ⲔⲰⲢϢ, ⲔⲰⲢⲈϢ *T. B.* Blande loqui *Sir.* xii, 16. Precari, Efflagitare *hominem Z.* 310. 314. 321. 354. 365. 600.

— κⲱⲣϣ *B.* ⲟⲩ Adulatio *Z.* 167. *T.* δόλος Fallacia, Fraus *Cod. Paris.* 44. *fol.* 16.

ⲔⲢⲞϤ *T.* πε Dolus, Insidiae *Matth.* xxvi, 4. *Act.* xiii, 10. xx, 3. xxiii, 16. (*M.* ϫⲣⲟϥ).

— ⲛ̄κⲣⲟϥ Dolosus *Ming.* 237 *Z.* 586.

— ⲣ̄κⲣⲟϥ Dolosus fuit, Dolose egit *Tuk.* 268.

— ⲙⲛ̄ⲧκⲣⲟϥ τ. Fallacia *Tuk.* 573.

— ⲥⲁⲛκⲣⲟϥ Dolosus *Cod. Paris.* 44. *fol.* 77.

— κⲣⲁϥ *B.* Dolus, Insidiae *Z.* 167.

ⲔⲰⲢϤ *M.* καταργεῖν, ἀκυροῦν Inutilem, Irritum reddere, Abolere, Exauctorare *Marc.* vii, 13. I. *Cor.* i, 28. vi, 13. xiii, 11. xv, 24. Irritus reddi, Aboleri I. *Cor.* ii, 6. xiii, 8. 9. *Gal.* v, 11. Solutus, Liber esse *Rom.* vii, 2. 6.

— κⲉⲣϥ Idem *Matth.* xv, 6. *Rom.* iii, 3. 31.

— κⲱⲣϥ πι ἀργεία Otium, cessatio a labore *Exod.* xxi, 19. *Isai.* i, 13.

— ⲉⲧκⲱⲣϥ Otiosi *Matth.* xx, 3.

ⲔⲈⲢⲂⲈ *M.* Calvus *Levit.* xiii, 40. *Z.* 601. *n.* 4.

— ⲙⲉⲧκⲉⲣⲃⲉ † Calvities *Levit.* xiii, 42. 43. xxi, 5.

ⲔⲢⲞⲨϪ *T.* ϩⲛ̄ πέμματα Placentae *Hose.* iii, 1. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 116. الكماخ Obsonia cum aceto parata *Ibid. fol.* 89.

— ⲉκκⲣⲟϫ ⲟⲩ ἐσχαρίτης Edulium craticula assatum II. *Reg.* vi, 19. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 110.

ⲔⲰⲢϪ, ⲔⲞⲢϪ *T. M.* Caedere *securi*, Abscindere, Frangere *Deut.* xix, 5. xx, 19. *Psal.* lxxiii, 5. *Matth.* iii, 10. vii, 19. κεφαλαιόω Vulnerare, Caedere in capite *Marc.* xii, 4. Frangi, Abrumpi *Rom.* xi, 19.

ⲔⲀⲤ *T. M.* ⲟⲩ Numus minimi valoris *Z.* 91. 506, *tum* 328. *not.* 310. *Zoëga dictum censet, quod vetustissimi apud Ægyptios numi teretem habuerint* ossium *figuram*, *fere ut Graecis dicti sunt* ὀβελοί.

ⲔⲀⲤ *T. M.* π. ὀστέον Os *Luc.* xxiv, 39. *Joh.* xix, 36. *Z.* 52. 68. 426. Granulum, Nucleus fructuum *Z.* 38. κⲁⲥ ⲛ̄ⲛⲟⲩⲉⲣⲏⲧⲉ Os pedum, Planta pedum *Z.* 348.

— κⲉⲉⲥ *T.* Os, *plerumque plur.* Ossa *Sir.* xlix, 10. *Hebr.* xi, 22. *Z.* 424. 533.

— κⲁⲁⲥ *T.* Ossa *Sir.* xxvi, 13. xlvi, 12.

— ⲁⲧκⲁⲥ *M.* πι Medullae *Gen.* xlv, 18. *Hebr.* iv, 12. ⲱⲧ ⲛⲁⲧκⲁⲥ pinguedo medullae *Psal.* lxv, 15.

— κⲁⲥϭⲏⲧ *M.* πι Costae, *scil.* os lateris *Z.* 596.

— κⲁⲥⲣⲟ *M.* † Mentum, *scil.* ossum oris *Kir.* 76.

ⲔⲀⲤ *vide* κⲱⲥ.

ⲔⲀⲒⲤ, ⲔⲞⲈⲒⲤ *T. M.* Urbs Ægypti non longe a Pemge, Cynopolis veterum, Arabibus dicta القيس *Z.* 24. 244. 546. *Kir.* 210. Metropolis Nomi *Z.* 368, *vide Champ. l'Égyp. sous les Phar.* i, 301.

ⲔⲈⲤ *vide* κⲱⲥ Curare

ⲔⲈⲈⲤ *B.* Ut non, Ne, Ne forte *Q.* 237.

ⲔⲈⲈⲤ *vide* κⲁⲥ Ossum.

ⲔⲎⲤ, ⲔⲞⲤ, ⲔⲞⲞⲤ *vide* κⲱⲥ Curare.

ⲔⲞⲤ ⲔⲀⲨ Urbs Ægypti ad septentrionem Antaeopolis, est Apollinopolis veterum, dicta Kos arundinum *Cod. Par.* 17. *Kir.* 210, *vide Champ. l'Égyp. sous les Phar.* i, 273.

ⲔⲰⲤ *vel* ⲔⲞⲞⲤ ⲂⲢⲂⲈⲢ Urbs Ægypti, Apollinopolis Parva veterum, dicta Kos Fervens, *vide Champ. l'Égyp. sous les Phar.* i, 219.

ⲔⲰⲤ ⲔⲞϢ Urbs Ægypti, Cusae antiquorum, *vide Champ. l'Égyp.* i, 284.

ⲔⲰⲤ *T. M.* Curare cadaver ut sepeliatur *Gen.* l, 2. *Act.* v, 6. viii, 2. *Z.* 44. 81. *Ming.*

188. illud unguentis et aromatibus condiendo *Màtth.* xxvi, 12. *Z.* 90. illud fasciis obvolvendo *Jòh.* xix, 40. *Z.* 84, *vide Z.* 328. 343. *Pan.* 271; *quare distinguitur a* θομс Sepelire, in sepulchro condere.

— κεс, κος, κοсε *M.* Idem *Gen.* l, 2. *Deut.* xxi, 23. *Col.* ii, 12. *Z.* 14.

— κοος, κωως, κωωсε *T.* Idem *Act.* viii, 2. *Z.* 328.

— κнс *M.* Curari, *pec.* Fasciis convolvi *Z.* 43.

— κωс *T. M.* πι Cadaver conditum, Mumia *Z.* 42. 43. ἐνταφιασμὸς Curatio cadaveris *Màrc.* xiv, 8. *Joh.* xii, 7.

— κωс, κος *M.* ϯ Sepulchrum *Deut.* xxi, 23. xxxiv, 6.

— κωωс *T.* ογ Cadaver conditum, Cadaver *Sir.* xxii, 11. xxxviii, 16. xlviii, 5. *Z.* 424.

— ρ̄κας, ρ̄κωωс *T.* Cadaver fieri *Ming.* 252. 253.

— ρεϥκωс *M.* Funeratores, *qui cadavera curant Gen.* l, 2.

— καιсι *M.* ϯ Involucrum sepulchrale, Fasciae sepulchrales *Z.* 15. 84. *Kir.* 254. 347.

— καιсε *T.* τ. Curatio cadaveris, Sepultura *Sir.* xxxviii, 16. *Jòh.* xii, 7. *Z.* 231. 328.— ϯ πογκαιсε Sepulturae dare *Z.* 328. 535.

ΚΩΩС, ΚΩΩСЄ *vide* κωс Curare cadaver.

ΚΑΙСЄ, ΚΑΙСΙ *vide* κωс Curare cadaver.

ΚΟСЄ *vide* κωс Curare.

ΚΑСΒΗΤ *vide* κας Os.

ΚΑСΚС *T.* Sibilare *de serpente dicitur Fragm.* 312. Susurrare, Mussitare *Z.* 575. Maledicere *Z.* 417.

— κοсκεс Sibilare *de serpente usurpatur Z.* 291.

— κασκс, κασκεс π. Sibilus *serpentis Pap.* vi, 60. Susurrus II. *Còr.* xii, 20.

— ρεϥκασκс Susurrans *Sir.* xxi, 28. xxviii, 13.

ΚЄСΚΩС εβολ *T. M.* *Zoëga interpretatur* Extendere, Resupinare; *Equidem credo esse* Convolvere, Obvolvere *Z.* 118. 291. *not.* 32, 386. 571. *a* κωс obvolvere, involvere fasciis.

ΚΟΟΥΡ, ϨΟΥΡ *T.* πε Annulus *Lùc.* xv, 22. *Jàc.* ii, 2. *Z.* 422. 492. (*M.* ϣбογρ).

ΚΑСΡΟ *vide* κας Os.

ΚΑΤ *B.* ΚΟΤ *T. M.* Convertere, Reverti *cc. suffix. recipr. personae* ακατс convertit se, conversa est *Q.* 229. ατετπκατ τнπογ convertistis vos *Z.* 167, *vide Q.* 231. *Z.* 148. — αϥκοτϥ Convertit se *Màtth.* ix, 22. *Lùc.* iv, 1. Reversus est *Lùc.* viii, 55. ix, 10. αγκοτογ Reversi sunt *Gen.* xiv, 7. εϥεκοτϥ Revertetur *Levit.* xxv, 10. *Sine suff.* αγκοτ Reversi sunt *Num.* xiii, 26. — *cc. alio verbo notat* Amplius, Iterum μπεϥκοτϥ επαγ εροϥ Reversus non est ad videndum eum, amplius eum non vidit *Act.* viii, 39. — κοτ εβολ Avertere μπογκοτογ εβολ Averterunt se *Sir.* xlvi, 11. εϥϣαпκοτϥ εβολ Quando avertet se, cessabit *Sir.* xviii, 7.

— κτο Idem *cum suffix.* ϯπακτοι Revertar *Act.* xviii, 21. μαρεπκτοπ Revertamur *Act.* xv, 36. αϥκτοϥ Rediit *Act.* xiii, 13. πτερογκτοογ ϩε αγϣαϫε Quando iterum loquebantur *Z.* 324. — *Absolute* Restituere, Reddere *Màtth.* xxvii, 3. Convertere *Jàc.* iii, 3. v. 19. Reducere *Z.* 232. Volvere, Convolvere *Z.* 525. Cingere, Constringere *Pap.* v, 40.

— κτο εβολ Avertere *Sir.* xiv, 8. *Hèbr.* xii, 25. *Tuk.* 562.

— κτε Convertere *Sir.* xxi, 6. xxxix, 23. In orbem peragrare γυρέω *Sir.* xliii, 12. Peragrare *Pap.* v, 92. — κτε εβολ Avertere *Sir.* iv, 4. ix, 8. xli, 21. *Act.* xiii, 8.

— κετ Convertere, Reverti *fere semper cum suffixo* 2. *personae plur.* м̄περκεττнγτп̄ ne revertimini *Z.* 362. ατετπκεττнγτп

convertistis vos I. *Pètr.* ii, 25. *vide Màtth.* xviii, 3. *Act.* xiv, 15. — ⲛⲧⲉⲧⲛⲁⲕⲉⲧ ⲧⲏⲩⲧⲛ ⲁⲛ ⲉⲛⲁⲩ non amplius, *vel* iterum videbitis *Act.* xx, 38.

— ⲕⲧⲁ *B.* Cingere, Circumdare *Q.* 235. Avertere *Z.* 146.

— ⲕⲁⲧ. *T.* ⲡ. Corbis *Z.* 633. *not.* 12.

— ⲕⲟⲧ *T.* ⲟⲩ τροχὸς Rota *Sir.* xxxvi, 5. *Z* 458. Mensura itineris, Parasanga, Miliare *Z.* 309. — *T. M.* ⲡ. Cophinus, Corbis *Matth.* xiv, 20. *Marc.* vi, 43. *Lùc.* ix, 17. Sporta *Kir.* 151.

— ⲕⲧⲟ *T.* ⲡⲉ Conversio *Sir.* xlix, 2. l, 5. Reversio *Sap.* 60. στροφὴ Flexus *Sir.* xxxix, 2. *Prov.* i, 3. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 117. φραγμὸς Sepes, Sepimentum *Job.* xxxviii, 31. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 117. *Rossi* 96.

— ϭⲓⲛⲕⲧⲟ *T.* Reditus *Z.* 446.

— ⲉⲩⲕⲟⲧ *M.* Reversi *Num.* xxi, 33.

— ⲉⲩⲕⲧⲟⲉⲓⲧ *T.* Circumiens, Circumdans *Z.* 477.

— ⲕⲧⲏⲩ *Passivum* τοῦ ⲕⲟⲧ, Conversus esse *Z.* 491. *not.* 46.

— ⲉϥⲕⲧⲏⲩ *T.* Conversus *Z.* 339. Obvolutus *Z.* 387.

— ⲉⲩⲕⲧⲏⲩ *T.* Obvolutus *Z.* 380.

— ⲉⲩⲕⲧⲏⲟⲩⲧ *M.* Obvoluti, Induti *Apoc.* iv, 4.

— ϩⲓⲕⲟⲧ, ϩⲓ ⲟⲩⲕⲟⲧ *M.* Iter suscipere, Obambulare, ⲁϥϩⲓⲕⲟⲧ ⲉⲣⲟϥ iter suscepit ad eum, ivit ad eum invisendum *Z.* 67. ⲁϥϩⲓ ⲟⲩⲕⲟⲧ ⲉⲡⲧⲱⲟⲩ Perambulavit, Perlustravit montem *Z.* 68, *vide Z.* 51. 121. 613. *not.* 13. Speculari, Observare *Exod.* ii, 4. Castrametari, Divertere *Gen.* xxxiii, 18. *Exod.* xvii, 1. *Num.* i, 50. 51. 52, *ubi scribitur* ϩⲓⲕⲱⲧ.

— ⲉⲧϩⲓⲕⲱⲧ *M.* Qui castrametatur *Num.* ii, 3. 5.

— ⲕⲟⲧⲥ *T. M.* ⲟⲩ Conversio *Sir.* xliii, 17. Orbis, Circulus *Z.* 213. στραγγαλιὰ, γύρος Convolutio, Implicatio *Z.* 525. 582. Astutia, Versutia *Sap.* 405. *Sir.* i, 6. I. *Còr.* iii, 19. *Eph.* iv, 14. vi, 11.

— ⲣ̄ⲕⲟⲧⲥ *T.* μηχανᾶσθαι Astute moliri *Cod. Par.* 44. *fol.* 73.

— ⲥⲁⲛ̄ⲕⲟⲧⲥ *T.* ⲡ. Veterator *Z.* 507. 571. φλυαρὸς *Cod. Par.* 44. *fol.* 64. ⲡⲥⲁⲛ̄ⲕⲟⲧⲥ ⲉⲑⲟⲟⲩ κακομηχανῶν *Ibid. fol.* 73.

— ⲙⲛⲧⲥⲁⲛ̄ⲕⲟⲧⲥ *T.* ⲙⲉⲧⲥⲁⲛ̄ⲕⲟⲧⲥ *M.* ϯ Versutia, Astuta machinatio *Z.* 507. 625. στραγγαλιὰ *Cod. Par.* 44. *fol.* 77. συστροφὴ Congregatio, Conspiratio, Coetus *Psal.* lxiii, 2.

— ϯ ⲟⲩⲕⲟⲧⲥ *M.* Circumire *Ezech.* xxxvii, 2.

— ⲍⲓⲕⲟⲧⲥ *T.* Intricari, Implicari — ⲍⲏⲧⲛⲕⲟⲧⲥ Intricatus, Implicatus *Z.* 603. *not.* 20.

— ⲫⲁⲛⲓⲕⲟⲧⲥ *M.* Callidus, Machinator *Kir.* 87.

— ⲕⲟϯ *M.* Reverti *Deut.* iii, 20.

— ⲕⲱⲧⲉ *T.* ⲕⲱϯ *M. B.* Convertere *Z.* 42. 101. 135. Circuire, Circumire, Circumdare, Cingere *Num.* xxi, 4. *Sir.* xxiv, 5. l, 12. *Matth.* iv, 23. *Act.* xiv, 20. *Z.* 73. 210. 219. 352. 562. Obsidere *urbem Sir.* l, 4. *Pap.* ii, 85. Errare, Vagari *Sir.* ix, 7. xiii, 6. *Z.* 290. Quaerere, Exquirere *Deut.* xii, 5. xiii, 14. xvii, 4. Circumferre *Act.* xiii, 49.

— ⲕⲱⲧⲉ ⲉⲃⲟⲗ *T.* Avertere a *Z.* 514.

— ⲕⲱⲧⲉ ⲉϩⲣⲁⲓ *T.* Circumire, Huc illuc ire *Z.* 580.

— ⲕⲱⲧⲉ ⲕⲱⲧⲉ *T.* Idem ⲉϥⲕⲱⲧⲉⲕⲱⲧⲉ Huc illuc vagans, oberrans *Z.* 270.

— ⲕⲱϯ ⲛⲉⲙ *M.* Disputare *Marc.* viii, 11. ix, 14. *Act.* vi, 9.

— ⲕⲱⲧⲉ ⲛⲥⲁ *T.* ⲕⲱϯ ⲛⲥⲁ *M. B.* Circumire quaerendo aliquem, Quaerere aliquem *Gen.* xxxvii, 15. 16. *Deut.* x, 12. *Z.* 152. 393. 447.

— ⲉϥⲕⲱⲧⲉ *T.* Circumiens *Sir.* xxxvi, 5. Errans *Sir.* xxxi, 9. Versatilis *Fragm.* 313. Circum *Z.* 207. 208.

— ⲉϥⲕⲱϯ *M.* κύκλῳ Circum *Exod.* xxxix, 8. *Levit.* i, 5. iii, 2.

— ⲉⲧⲕⲱⲧⲉ *T.* Circumstans *Z.* 362. ⲉⲧⲕⲱⲧⲉ ⲉⲣⲟⲟⲩ Circumstans iis, qui est circa eos *Jùd.* 7. Errans *Sir.* XXXVI, 25.

— ⲉⲧⲕⲱϯ *M.* Circumstans, Positus circa *Num.* XVI, 34. ⲉⲧⲕⲱϯ ⲉⲣⲱⲟⲩ Circa eos positus *Jud.* 7.

— ⲕⲱⲧⲉ *T.* ⲕⲱϯ *M.* ⲡⲓ Circuitus *Sir.* XXIV, 5. L, 2. *Apoc.* XXI, 18. *Z.* 101. ⲕⲱϯ ⲙⲫⲣⲏ Orbis solaris *Rossi* 95. ⲕⲱⲧⲉ ⲙⲡⲕⲁϩ Orbis terrae *Z.* 399. ⲡⲕⲱⲧⲉ ⲙⲡϩⲏⲧ περικάρδιον *Cod. Par.* 44. *fol.* 71. — Circuitus, Claustrum monasterii *Z.* 567. — Vallum, Agger circumdans χάραξ *Ezech.* XXI, 22. — Loca vicina *Z.* 75. 396. ⲡⲉⲥⲕⲱϯ Vicinia eius *Rom.* XV, 19. — Quaestio II. *Tim.* II, 23. *Tit.* III, 9. *Z.* 10.

— ⲉⲡⲕⲱⲧⲉ, ⲙⲡⲕⲱⲧⲉ *T.* ⲉⲡⲕⲱϯ, ⲙⲡⲕⲱϯ, ⲙⲡⲓⲕⲱϯ *M.* Circa, In circuitu *Exod.* XL, 7. *Sir.* XLIII, 12. *Z.* 262. ⲙⲡⲕⲱϯ ⲙⲙⲉⲣⲓ Circa meridiem *Act.* XXII, 6. ⲙⲡⲉϥⲕⲱⲧⲉ Circa eum *Màtth.* VIII, 18. ⲙⲡⲉⲥⲕⲱⲧⲉ Circa eam *Lùc.* XIII, 8. ⲙⲡⲁⲕⲱϯ Circa me *Deut.* XVII, 14.

— ⲉϥⲙⲡⲕⲱⲧⲉ *T.* Positus circa, Circumdans *Sir.* L, 12.

— ⲉⲧⲙⲡⲕⲱⲧⲉ *T.* Circumstans, Proximus *Z.* 379. ⲡⲉⲧⲙⲡⲉϥⲕⲱⲧⲉ Circumstantes ei *Sir.* XLVI, 5. *Z.* 348.

— ϫⲓⲛⲕⲱϯ *M.* ⲡⲓ Perimeter, Circumferentia *Kir.* 54. *Rossi* 95. Quaestio I. *Tim.* I, 4. ⲡϫⲓⲛⲕⲱϯ ⲡⲥⲁ Exquisitio, Inquisitio *Dan.* IX, 3.

ⲔⲈⲦ, ⲔⲞⲦ *vide* ⲕⲁⲧ, *et* ⲕⲱⲧ.

ⲔⲈⲦ alius *vide* ⲕⲉ, ⲕⲁⲧ, ⲕⲱⲧ.

ⲔⲎⲦ *vide* ⲕⲱⲧ.

ⲔⲰⲦ *vide* ⲕⲁⲧ.

ⲔⲰⲦ *T. M. B.* Ædificare, Construere *Màtth.* VII, 24. XXVII, 40. I. *Cor.* X, 23. *Z.* 22. 153. 154. Dedicare *aedes*, *templum* *Z.* 534. Instituere I. *Còr.* XIV, 4.

— ⲕⲟⲧ Idem *absolute*, *et cum suffix.* *Matth.* XXVI, 61. *Lùc.* XII, 18. *Z.* 63. 95. 266.

— ⲕⲉⲧ Idem *Num.* XIII, 23. *Luc.* XIV, 28. *Màrc.* XIV, 58. *Ming.* 188.

— ⲕⲏⲧ *T. M.* Ædificari *Luc.* VI, 48. *Z.* 450.

— ⲕⲱⲧ *T. M.* ⲡ. Ædificatio *Rom.* XIV, 19. II. *Còr.* XII, 19. *Z.* 266. Ædificium *Matth.* XXIV, 1. Institutio, Norma, Regula *Z.* 507. 556. 557. ⲕⲟⲧ aedificatio *ita scribitur* I. *Còr.* XIV, 3.

— ⲉⲧⲕⲱⲧ *T. M.* Ædificans *Act.* IV, 11. I. *Petr.* II, 7.

— ⲉⲧⲕⲏⲧ *T. M.* Ædificati *Apoc.* XXI, 19. *Z.* 518.

— ⲉⲧⲕⲏⲧ Ædificatus *Z.* 22.

— ϯⲕⲱⲧ *T.* Dare normam, regulam *Ming.* 171.

— ϫⲓⲕⲱⲧ *T.* Ædificari *Z.* 300.

ⲔⲦⲀ, ⲔⲦⲈ, ⲔⲦⲎⲨ, ⲔⲦⲞ *vide* ⲕⲁⲧ.

ⲔⲦⲞⲨ *T.* نش *Cod. Par.* 44. *fol.* 66. Germen plantae adhuc tenue.

ⲔⲀϮ *M.* Intelligere *Exod.* XXXI, 3. *Deut.* XXIX, 9. XXXII, 7. εὐνοεῖν Benevolus, prudens esse *Matth.* V, 25.

— ⲕⲁϯ ⲡⲓ Intellectus, Prudentia *Exod.* XXXI, 6. XXXV, 31. *Deut.* IV, 6.

— ⲁⲧⲕⲁϯ Amens, Imprudens *Psal.* XLVIII, 10. *Marc.* VII, 18.

— ⲙⲉⲧⲁⲧⲕⲁϯ ϯ Amentia, Imprudentia *Marc.* VII, 22. *Luc.* VI, 11.

— ⲣⲉⲙⲛⲕⲁϯ Intelligens, Intellectu praeditus *La-Croze* 78.

— ⲣⲉϥⲕⲁϯ ἐπιστήμων Intelligens *La-Croze* 80.

— ϯⲕⲁϯ Intellectum dare, Prudentem reddere *Psal.* CXVIII, 130. 144.

— ϫⲉⲙⲕⲁϯ σωφρονεῖν Prudens esse I. *Petr.* IV, 7.

— ϫⲓⲛⲕⲁϯ ⲡⲓ Intelligentia, τὸ Intelligere *Exod.* XXXV, 35. *Dan.* IX, 13.

— ⲕⲁⲧϩⲏⲧ ἐπιστήμων, συνετὸς Intelligens, Prudens, Sapiens *Gen.* XLI, 33. *Deut.* I, 13. *Luc.* X, 21. *Act.* XIII, 7.

ΚΑΤΟ *T.* τ σκάφη Scapha *Act.* xxvii, 30.
ΚΘϮ *vide* κε.
ΚΙΤΘ *T.* ΚΙϮ *M.* ϯ Drachma *Gen.* xxiv, 22. *Z.* 625. *Kir.* 68. Didrachma *Gen.* xx, 14. xxiii, 15. *Exod.* xxi, 32. *Matth.* xvii, 24. κιτε est dimidium stateris *Z.* 513. *n.* 7. Mensura quae mediam unciam continet *Kir.* 145.
— ϫεcκιϯ *M.* ϯ Dimidium didrachmi, Drachma *Luc.* xv, 8. 9. *Kir.* 146.
— ϭιcκιτε *T.* τ. Idem *Z.* 513. *not.* 7. τϭικιτε الدرهم *scribitur Cod. Par.* 44. *fol.* 58. *et* ϭικιϯ *Kir.* 146. *quod* quartam unciae partem *Kircherus interpretatur, seu dimidium* κιϯ.
— ρεϥκιϯ *M.* Magister, Curator ludorum *Kir.* 138.
ΚⲰΤΘ, ΚⲰϮ *vide* κατ.
ΚΘΤΒ *vide* κετϥ.
ΚΟΤΚ *vide* πκοτ.
ΚΑΤΚΘ *vide* κακοι.
ΚΑΤΟΥΑΙ *M.* πι Malva *Kir.* 196.
ΚΑΤΟΙC *M.* πι Morus Ægyptia *Kir.* 178. *Rossi* 81. *ita dictam credit a* καϯ Sapientia, *et* ⲙιcι Gignere, *quasi* Sapienter germinantem; *sane Plinius* xvi, 25. *eam appellavit* sapientissimam arborum.
ΚΟΥΤⲰΝ *M.* Granum Cannabis *Kir.* 185.
ΚΤΗΡ *T.* عجل Vitulus *Cod. Par.* 43. *fol.* 15. ⲙⲁcε πκτηρ Pullus vituli, μοσχάριον Vitulus tenellus *Levit.* ix, 2. 4. *in Z.* 209.
ΚΟΤΘ *vide* κατ.
ΚΤΗΟΥΤ, ΚΤΟΘΙΤ *vide* κατ.
ΚΘΤϤ, ΚⲰΤϤ *T.* Decerpere *fructus, flores*, Colligere *Matth.* vii, 16. *Z.* 456. 512. 624. *Ming.* 143.
— κετϭ Idem *Ming.* 266.
ΚΑΦΑΙ *M.* πι Coturnices, Hirundines *Kir.* 168.
ΚΟΥΦΑΤ *M.* πι الزر ابي *Kir.* 126. Certa vasa Textorum *vertit Kircherus; vox Arabica Freytagio est* Pulvinar, omnis res quae substernitur, et cui innituntur.
ΚΑΦΑϪΙ *M.* πι Folium Palmarum *Kir.* 138. πι Caules *Kir.* 177.
ΚΘϪⲰΟΥΝΙ *vide* κε.
ΚΑϢ *T. M.* πι Arundo, Calamus *Matth.* xi, 7. xii, 20. xxvii, 29. *Marc.* xv, 19. *Ming.* 334. Calamus scriptorius III. *Joh.* 13. *Kir.* 141. Caulus, Hastile, Stipes *Num.* viii, 4. χάραξ Palus *Sir.* xxii, 18.
— καϣ ⲙϥⲱι *M.* Calamus pilorum, Penicillus *Kir.* 125.
— καϣ ⲛ̀τε πιϫιⲛϣι *M.* Arundo mensoria, Pertica *Kir.* 142.
— καϣ ⲛϣι *M.* Arundo mensoria *Ezech.* xl, 3.
— καϣ πεϐιω *T.* γλυκοκάλαμος قصب الحلاوة *Cod. Paris.* 44. *fol.* 81. *anne* Saccharum, Calamus sacchari? *vide* καλⲁⲙⲉλϩ.
ΚΑϢ, ΚⲰϢ *M.* Frangere *Gen.* xix, 9. *Exod.* xii, 10. *Joh.* xix, 32. 36. Frangi, Disrumpi *Exod.* xxii, 10. *Act.* i, 18. *Pan.* xl.vi.
— κⲱϣ πι Fractio *Kir.* 269.
— κⲱϫϣε *T.* ⲁⲩκⲱϫϣε اكسروا Fregerunt *Cod. Paris.* 44. *fol.* 90.
ΚΑϢΑΒΘΑ *T.* π. Inauris, Margarita *ita Z.* 493. 589, *sed Rossio* 82. *est* Orichalcum.
ΚΑϤ *T.* ου στέλεχος Truncus, Ramus *Sir.* l, 12. (*M.* ϫαϥ).
ΚΗϤ *vide* κϭⲁ.
ΚΘΘϤΘ, ΚⲰⲰϤΘ *vide* κⲱϫϭε.
ΚΙϤΙ *vide* εκιϭε.
ΚΘϤΤ *vide* κεπτο.
ΚΑϨ *T.* π. Terra *passim.* χοῦς Pulvis *Z.* 589.
— καϩι *M.* πι Terra *passim.* — ουκαϩι πϫⲱⲙ Caput libri *Psal.* xxxix, 7. *Hebr.* x, 7. *fortasse pro* κοοϩ, κοϩ vertex.
— κεϩι *B.* π. Terra *Z.* 145. *Q.* 236. 237.
— ⲣ̄καϩ *T.* Terreus, Terrestris fieri, evadere *Z.* 522.

— ρμπκαϩ *T.* Terrestris, Terrenus, incola terrae *Sap.* 318. *Z.* 301.
— ρμπκαϩι *M.* Idem I. *Cor.* xv, 47. 48.
ΚΕϨ *T.* Rumpere *Z.* 652.
— κεϩ εβολ *M.* Amputare, Obtruncare *Pan.* CLXXII.
— καϩ ϩητ *T.* ον Contritio cordis *Ròm.* XI, 8.
— †κεϩ *M.* κολαφίζειν Colaphum dare *Marc.* XIV, 65. I. *Cor.* IV, 11. II. *Cor.* XII, 7.
— ϣεπκεϩ Ictus pugni. — †ϣεπκεϩ κονδυλίζειν Pugnis caedere *Soph.* II, 8. *Malach.* III, 5. *apud Rossi* 79. 226.
— κοϩ κοοϩ *T. M.* ον Angulus *Act.* IV, 11. *Z.* 219. Frustum κοοϩ ποεικ Frustum panis *Z.* 547. ἄκρον Vertex, Summitas praerupta *Z.* 212. 490. οτκοϩ μπετρα Vertex rupis *Z.* 15. †κοϩ πϣωτ ἀκροτόμος Vertex praeruptus, Petra valde acuta *Psal.* CXIII, 8. CXXXV, 16. πϫοϩ πϣοτ *scribitur Deut.* VIII, 15. *Kir.* 446.
— κεκωϩ *T.* Incidere in lapide *Lùc.* XXIII, 53. *pro* κεϩκωϩ.
— κεϩκωϩ *T. B.* λαξεύειν Idem *Deut.* III, 27. IV, 29. λατομεῖν *Matth.* XXVII, 60. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 12. Sternere viam *caedendo lapides* *Z.* 164.
— ετκεϩκωϩ *T.* Excisus, Incisus *Pap.* II, 41.
— κεϩκεωπι *M. pro* κεϩκεϩωπι Lapicida, Statuarius *Rossi* 87. 194.
— ρεϥκαϩκεωπι *M.* Idem *Z.* 91. *Rossi* 87.
— ρεϥκεϩκωπε *T.* λιθουργὸς Lapicida *Sir.* XLV, 11.
— ρεϥκεϩκεϩ ωπε *T.* λατομος λιθοξοος *Cod. Paris.* 44. *fol.* 67.
ΚΗϨ *vide* κωϩ.
ΚΟϨ, ΚΟΟϨ *vide* κεϩ.
ΚΟΕΙϨ *T.* π. Vagina *Màtth.* XXVI, 52. *Z.* 443. *Joh.* XVIII, 11. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 7.
— κωϩι *M.* πι Idem *La-Croze* 35.
— κοιϩι *M.* πι الغلاف Idem *Kir.* 74.
ΚΩϨ *T. B.* Æmulari, Invidere *Sap.* 31. *Sir.* IX, 11. XXVI, 6. *Act.* VII, 9. *Z.* 155. (*M.* ϫοϩ).
— κηϩ *T.* Zelari *Z.* 417.
— κωϩ *T.* π. Æmulatio, Zelus *Act.* V, 17. XIII, 45. *Ròm.* XIII, 13.
— κοιϩε *T.* τ. Æmula, Rivalis ἀντίζηλος *Sir.* XXXVII, 11.
— †κωϩ *T.* Ad aemulationem provocare, Irritare *Sir.* XXX, 3. *Ròm.* X, 19. I. *Còr.* X, 22.
— ρεϥκωϩ *T.* Zelator, Æmulator *Act.* XXI, 20. XXII, 3. I. *Còr.* XIV, 12.
ΚΑϨΗΥ *vide* κω.
ΚΑϨΙ, ΚΕϨΙ *vide* καϩ.
ΚΟΙϨΕ *vide* κωϩ.
ΚΟΙϨΙ *vide* κοειϩ.
ΚΩϨΙ *vide* κοειϩ.
ΚΕϨΚ, ΚΑϨΚΕ, ΚΕϨΚΕϨ, ΚΕϨΚΩϨ *v.* κεϩ.
ΚΕϨΝΙ *M.* † Fornix obliqua *Z.* 157.
ΚΑϨΙΝΟΥΒ *M.* Canopus, urbs Ægypti ad mare, etymologice Terra Auri, Graecis Κανωβος *vide Champollion l'Égyp. sous les Phar.* II, 258.
ΚΑϨΙΟΡ *M.* Nomen Monasterii prope Hermopolim, etymologice Terra Ori *Z.* 84. *Quatremere Mém. Géogr. sur l'Égyp.* I, 145.
ΚΑϨϹ *M.* † Consuetudo *Num.* XXIV, 1. *Matth.* XXVII, 15. *Luc.* I, 9.
— ερκαϩϲ Consuescere, αϲερκαϩϲ πωοτ Consuetum fuit ipsis, Consueverunt *Z.* 46.
ΚΩϨΤ *T. B.* π. Ignis *Lùc.* XII, 49. XVI, 24. XXII, 56. *Q.* 236. Lumen *Act.* XVI, 29.
— πκωϩτ *T.* Igneus *Z.* 300. 312. Illuminatus *Pan.* 102.
— †πκωϩτ *T.* Ignem admovere, Incendere *Z.* 263.
ΚΕϨΤΕ *T.* τ. λαγὼν Lumbus *Sir.* XLVII, 19. *Z.* 629. *Pap.* VI, 2.

ⲔⲀϪ *M.* ⲕⲁϫϩⲣⲁϥ Incertum in hac phrasi ⲡⲓⲟⲩⲁⲓ ⲙⲉⲛ ⲟⲩⲕⲉⲣϩⲉ ⲡⲉ ⲡⲕⲁϫϩⲣⲁϥ ϧⲉⲛ ⲡⲉϥϥⲱⲓ — ⲡⲕⲉⲟⲩⲁⲓ ⲡⲉ ⲟⲩⲗⲁϥⲱⲓ ⲡⲉ ⲡⲕⲁϫϩⲣⲁϥ ⲟⲩⲟϩ ⲉϥϣⲏⲟⲩ unus erat calvus .˙. in coma sua — alter pilosus erat ... et longa coma ornatus Z. 601. *not.* 4.

ⲔⲀϪⲒ *M.* ⲡⲓ Situla *Kir.* 246. 248.

ⲔⲈϪⲰ Calvities *vide* ϩⲉⲕⲉϫⲱ.

ⲔⲞⲨϪⲒ *M.* Paucus esse *Deut.* vii, 7. (*T.* ⲕⲟⲩⲓ).

— ⲡⲉⲕⲉⲕⲟⲩϫⲓ Parum abfuit quin *Gen.* xxvi, 10.

— ⲕⲟⲩϫⲓ Paucus *Num.* xxxv, 8. *Z.* 34. 67. 72. Parvus *Deut.* i, 17. *Z.* 74. Parvulus, Infans *Z.* 58. ⲟⲩⲕⲟⲩϫⲓ Modicum, Paululum *Psalm.* xxxvi, 16. *Apoc.* xvii, 10. *Z.* 14. 16.

— ⲟⲓ ⲛⲕⲟⲩϫⲓ ⲛϩⲏⲧ Pusillanimis esse I. *Thess.* v, 14.

— ⲙⲉⲧⲕⲟⲩϫⲓ ϯ Paucitas *Psal.* ci, 23. Parvitas I. *Cor.* iv, 3. Infantia *Z.* 15. 54. 73.

— ⲙⲉⲧⲕⲟⲩϫⲓ ⲛϩⲏⲧ ϯ ὀλιγοψυχία Pusillanimitas *Psal.* liv, 8.

— ⲉⲣⲕⲟⲩϫⲓ, ⲉⲣⲕⲟⲩϫⲓ ⲉⲃⲟⲗ Imminui *Num.* xxvi, 54. xxxiii, 54. *Psal.* 474. Breviari *Marc.* xiii, 20.

— ⲉⲣⲕⲟⲩϫⲓ ⲛϩⲏⲧ Animo despondere *Num.* xxi, 4. *Hebr.* xii, 5.

Ⲗ

Ⲗ *pro* ⲛ *ante* ⲗ, *sic* ⲗⲗⲩⲡⲏ, ⲗⲗⲁⲟⲥ *Sap.* 45. 180. *pro* ⲛⲗⲩⲡⲏ, ⲛⲗⲁⲟⲥ.

ⲖⲀ *pro* ⲗⲁⲃ *vide* ⲗⲓⲃⲉ.

ⲖⲀ *T. M. Particula praefixa quae notat* Valde, Omnino, *hinc* ⲗⲁⲃⲏⲧ Vorax, ⲗⲁⲥⲁϫⲓ Loquax, ⲗⲁϫⲁⲗ valde frondosus.

— ⲗⲱ *B.* Idem, ⲗⲗⲱⲥ omnino Z. 156.

ⲖⲀ *T.* ⲡ. Calumnia *Z.* 462. *not.* 68. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 73.

— ⲙⲛⲧⲗⲁ ⲧ. συκοφαντία Calumnia *Amos* ii, 8. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 116, *et Eccl.* iv, 1. *ibid. fol.* 118.

— ϩⲓⲗⲁ, ϩⲉⲓⲗⲁ Calumniari Z. 296. 340. Vituperare *μωμεῖν Sap.* 528. Opprimere Z. 462. *not.* 68.

— ϩⲓⲗⲁ ⲟⲩ Calumnia *Sir.* xxvi, 5. li, 6.

— ⲙⲛⲧⲣⲉϥϩⲓⲗⲁ ⲧ. Calumnia Z. 273. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 89.

ⲖⲀ *B.* Cessare, Desistere Z. 164. (*T.* ⲗⲟ).

ⲖⲀ *B.* ⲟⲩ Porta *Q.* 235. Os, oris (*T.* ⲣⲟ).

— ⲉⲗⲁⲓ Ad os meum, ad me, mihi Z. 146. ⲉⲗⲁϥ ei Z. 155. ⲉⲗⲁⲥ ei *femin.* Z. 145. ⲉⲗⲁⲛ nobis *Q.* 280. ⲉⲗⲁⲧⲉⲛ vobis Z. 146. 152. ⲉⲗⲁⲩ ipsis *Q.* 233. 235. (*T.* ⲉⲣⲟⲓ, ⲉⲣⲟϥ *etc.*)

— ⲡⲉⲧⲉⲗⲁϥ Quod ei est, Debitum eius Z. 151. ⲡⲉⲧⲉⲗⲁⲥ Debitum eius *femin. Ibid.* (*T.* ⲡⲉⲧⲉⲣⲟϥ).

— ⲗⲱ Os, oris Z. 147. ⲗⲱⲓ Os meum Z. 165.

ⲖⲀⲨ *M.* ⲡⲓ Germina *Kir.* 177.

ⲖⲀⲀⲨ *T. B.* Aliquis *Lùc.* ix, 21. 26. *Jòh.* xviii, 9. 31. Aliquid *Màrc.* xiv, 60. 61. *Lùc.* iv, 2. ix, 36. Z. 153. Aliquod ⲗⲁⲁⲩ ⲛⲛⲟⲃⲉ aliquod peccatum *Lùc.* xxiii, 4. ⲗⲁⲁⲩ ⲛϩⲱⲃ ⲛⲧⲉⲓϩⲉ aliquod opus simile Z. 218. Nullus, Nihil *Sap.* 330. 453. *Jòh.* viii, 54. ⲟⲩⲗⲁⲁⲩ ⲡⲉ nihil est Z. 152. ⲟⲩⲗⲁⲁⲩ ⲡⲉ ⲉⲧⲣⲉⲛⲣ̄ϩⲓⲧⲡⲉ nihil est ut superemus, facile nobis est superare *Ming.* 290. *Plur.* ϩⲛⲗⲁⲁⲩ res nullius momenti *Gallice* des riens *Sir.* xviii, 26. Z. 447.

— ⲕⲉⲗⲁⲁⲩ *T.* Aliquis alius *Ming.* 161.

— ⲙⲛⲗⲁⲁⲩ *T. B.* Nullus, Nemo *Lùc.* xv, 16. *Act.* iv, 34. Z. 153.

— ϣⲱⲡⲉ ⲉⲩⲗⲁⲁⲩ *T.* Ad nihilum redigi *Act.* v, 36.

ⲖⲀⲞⲨⲒ *B.* ⲟⲩ καλάμη Stipula Z. 148. (*T.* ⲣⲟⲟⲩⲉ).

ⲖⲀⲨⲞ *vide* ⲗⲁⲃⲟ.

ⲁⲉ *B.* Pars, *particula quae numeris praefigi solet* (*T. M.* ρε).

— λεⲙⲏⲧ ⲡε Decimae Z. 159.

— †λεⲙⲏⲧ Decimas dare Z. 159.

— ϫιλεⲙⲏⲧ Decimas accipere Z. 159.

ⲁⲓⲟⲩⲓ *M.* Vicus inferioris Ægypti, Arabibus Kahirah dictus, *quare coniicere licet hodiernam urbem Cairi in area vici* λⲓⲟⲩⲓ *exaedificatam fuisse*, *vide Champ. l'Égyp. sous les Phar.* II, 35.

ⲁⲟ *T.* Desistere, Desinere, Cessare *cc. particip.* †ⲛⲁλⲟ ⲉⲓϭⲟⲛⲧ desinam irasci Z. 238. ⲛⲧⲛⲁλⲟ ⲁⲛ ⲉⲕϭⲱⲱⲙε non desines pervertere *Act.* XIII, 10. ⲁⲩλⲟ ⲉⲩϩⲓⲟⲩⲉ finem percutiendi fecerunt *Act.* XXI, 32, *vide Act.* VI, 13. XII, 16. XX, 31. XXII, 11. — *cc.* ϩⲁ Desistere, Abstinere ab aliquo, cum Derelinquere Z. 639. *Pap.* II, 67. *etiam cc. accus.* λⲟ ⲙⲡⲉⲓⲙⲁ Derelinquere hunc locum Z. 319. — *cc.* ϩⲛ Cessare a, Relinquere *Sap.* 604. 651. Z. 261. 288. — *Absolute* Sanari, Convalescere *Matth.* VIII, 8. 13. XVII, 18. *Joh.* V, 10. 13. (*B.* λⲁ).

— *Imperat.* ⲁλⲟⲕ, ⲁλⲱⲧⲛ Abstine te, Cessa, Cohibete vos, Cessate. ⲁλⲟⲕ ⲉⲕⲙⲟⲥⲧⲉ cessa ab odio Z. 520. ⲁλⲟⲕ ϩⲁⲣⲟⲥ relinque eam *Luc.* XIII, 8. ⲁλⲱⲧⲛ ϩⲁⲣⲟⲥ relinquite eam *Joh.* XII, 7, *vide* Z. 292. 395.

ⲁⲟⲟⲩ *T.* ἱματισμὸς Vestis, Vestitus Z. 455. *not.* 12. *ex Psalm.* XLIV.

— λⲱⲟⲩ *M.* ⲡⲓ λῶμα Fimbria, Margo *Exod.* XXXVI, 32. 38. Anulus catenae Z. 575. *not.* 11. — ⲟⲓ ⲛλⲱⲟⲩ κοσυμβωτὸς εἶναι Fimbriatus esse *Exod.* XXVIII, 4.

— λⲟⲟⲧⲉ *T.* ϩⲛ Teniae, vel simile muliebre ornamentum capitis Z. 575.

— λⲟⲟⲧⲉ *T. pro* λⲟϭε Z. 227. λⲟⲟⲧⲉ ⲛⲛϭⲁλ Concupiscentiae oculorum.

ⲁⲱ Os *vide* λⲁ Porta. — Omnino *vide* λⲁ *Particula praefixa.*

ⲁⲁⲃ *vide* λⲓϭε.

ⲁⲁⲃⲟ *M.* ⲡⲓ Velum navis Z. 31. 614. *n.* 14. *Kir.* 133. λⲁⲧⲟ *scribitur in Cod. Paris.* 44. *fol.* 54.

— λⲁϭⲱⲓ ⲡⲓ Idem Z. 270.

ⲁⲁⲃⲟⲓ *T. M.* ⲡ. Ursus *Apoc.* XIII, 2. *Pan.* XLIX. Z. 59. 651. *n.* 69. *fem.* ⲧ. † λέαινα اللبوة Leaena *Kir.* 164. *Cod. Par.* 44. *fol.* 54. 190.

ⲁⲓⲃⲉ *T.* ⲁⲓⲃⲓ *M.* Insanire *Act.* XXVI, 24. Z. 51. 521. *Ming.* 315. Concupiscere, Amore deperire *Pap.* V, 51. (*Affine* λⲟϥ).

— λⲓϭε *T.* λⲓϭⲓ *M.* ⲡ. μανία Insania, Dementia *Sap.* 209. Z. 392. *Ming.* 315. Insania *furoris* Z. 134. *Pan.* CXXVI. Insania *amoris*, Concupiscentia Z. 570. 639. Sitis δίψα *Deut.* VIII, 15. *consonat* لاب sitivit. Lateris apostema *Kir.* 158. *Scribitur* λⲉϭⲓ *Deut.* XXVIII, 28.

— λεϭⲧ, λεϭⲓⲧ *T.* Ad insaniam adducere *cum suffix.* ⲁ . . . λεϭⲧⲕ Ad insaniam te adduxit *Act.* XXVI, 24, *pro quo Tuki* 13. *scribit* λεϭⲓⲧⲕ.

— ⲣεϥλⲓϭⲓ *M.* Daemoniacus, Energumenus *Kir.* 89.

— ϭⲓⲛλⲓϭε *T.* Insania *Pan.* 317.

— λⲟϭε *T.* λⲟϭⲓ *M.* Insanire *Joh.* X, 20. *Act.* XII, 15. XXVI, 24. I. *Cor.* XIV, 23. Z. 51.

— ⲉⲧλⲟϭε *T.* Insanus *Pap.* VI, 40. 45. Insaniens Z. 430. Furens *Pap.* V, 62.

— ⲉⲧλⲟϭⲓ *M.* Insanus *Pan.* LXXV.

— λⲁϭⲥϩⲓⲙε *T.* Concupiscens feminam, ut insaniat, Libidinosus Z. 291. *Pap.* VI, 60.

— ⲙⲛⲧλⲁϭⲙⲁϩⲧ *T.* Concupiscentia ventris, Gulositas *Pap.* VI, 60. *Cod. Par.* 44. *fol.* 88. *Scribitur* ⲙⲛⲧλⲁⲙⲁϩⲧ Z. 601. *n.* 4.

— ⲙεⲧⲣεϥλⲱϭλεϭ *M.* † Amor, Concupiscentia carnalis *Kir.* 98.

— ⲙⲛⲧⲗⲁⲃⲗⲁ *T.* ⲧ. Stultitia *Z.* 572. *not.* 10. *pro* ⲗⲁⲃⲗⲁⲃ.
ⲖⲒⲂⲒⲀ *M.* † Vas pharmacopolae *Kir.* 131. *vide Rossi* 103.
ⲖⲞⲂⲈ, ⲖⲞⲂⲒ *vide* ⲗⲓⲃⲉ.
ⲖⲀⲂⲀⲀ, ⲖⲰⲂⲀⲈⲂ *vide* ⲗⲓⲃⲉ.
ⲖⲈⲂⲀⲚ *M.* ⲡⲓ Funis anchorae *Z.* 614. *n.* 14.
ⲖⲈⲂⲦ *T.* لفت *Cod. Par.* 44. Brassica, Rapum, *herbae species, est ipsa vox Arabica.*
ⲖⲒⲂⲒⲦⲞⲨ *M.* † Vestimentum poenitentiae, Cilicium *Kir.* 120.
ⲖⲈⲂϢ *vide* ⲗⲱⲃϣ.
ⲖⲰⲂϢ *T.* Ardens, Candens esse *Fragm.* 304. 323. Urere, Urendo purgare *Rossi* 104.
— ⲉϥⲗⲟⲃϣ *T.* Candens *Z.* 373. *n.* 1. ⲉϥⲗⲟⲃϣ ⲛⲭⲣⲱⲙ *M.* Igne candens *Pan.* LXXX. ⲉⲧⲗⲟⲃϣ ⲛⲭⲣⲱⲙ *M.* Igne candentes *Pan.* LXXIII.
— ⲉϥⲗⲱⲃϣ *M.* Combustus *Kir.* 234.
— ⲉⲧⲗⲟⲃϣ *T.* Ignitus, candens *Fragm.* 305.
— ⲗⲡϣ *T.* Flamma *Rossi* 104.
— ⲗⲟⲡϣ *T.* Ardere, Urere *Ibid.*
— ⲗⲱⲃϣ *T. M.* ⲡ. ⲡⲓ στεφάνη Corona tecti *Deut.* XXII, 8. Tectum *Luc.* V, 19. *Z.* 535. *not.* 7. 658. Tegula *Z.* 450. *not.* 39. Arx, Munimentum *Kir.* 260. *Rossi* 104. Loca in quae recipiuntur advenae, Hospitia *Kir.* 152. Fundamenta, Interpretationes *Kir.* 260. 261. — ⲛⲓⲗⲟⲃϣ *M.* Pinnae, Acumina *Kir.* 261.
— ⲗⲉⲃϣ *M.* ⲡⲓ φρύγανον Sarmentum, Virgultum aridum *Act.* XXVIII, 3. σκύβαλον Retrimentum, Excrementum *Phil.* III, 8. Stipula *Kir.* 260. 466.
ⲖⲔ Contrahere *vide* ⲟⲗⲕ.
ⲖⲈⲔ, ⲖⲎⲔ *vide* ⲗⲱⲕ.
ⲖⲒⲔ *vide* ⲗⲟⲕ.
ⲖⲞⲔ *M.* ⲡⲓ κοτύλη Congius, Certa mensura liquidorum *Levit.* XIV, 10. 12. 15. *Kir.* 148. *Est ipsa vox hebraica* לֹג, *quae in citatis Levitici locis legitur; sane Kircherus* 150. *habet* ⲗⲓⲕ Lecythus, Vas olei. *Hinc est* ϣⲡⲗⲟⲕ *quod vide.*
— ⲗⲟϭ *T.* ⲡ. κοτύλη Congius *Cod. Paris.* 44. *fol.* 105.
ⲖⲰⲔ *T.* ἁπαλὸς γίγνεσθαι Mollis, Tener fieri, evadere *Marc.* XIII, 29. Mollis, Tener fieri *in coquendo Z.* 556.
— ⲗⲱⲕ *M.* ⲡⲓ Teneritudo *Deut.* XXVIII, 56. ⲁⲗⲟⲗⲓ ⲛϩⲏ ⲛⲗⲱⲕ Uva generis mollis, viridis, uva recens *Num.* VI, 3.
— ⲉϥⲗⲏⲕ *T.* Tener *Z.* 629. *Tuk.* 577. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 103. ⲉⲧⲗⲏⲕ *M.* humidi *Pan.* LXIX.
— ⲉⲧⲗⲏⲕ *T. M.* Tener *Deut.* XXVIII, 54. 56. *Z.* 43. 560. Humidus *Luc.* XXIII, 31. ⲫⲏⲉⲧⲗⲏⲕ Obesus, Crassus *Kir.* 73.
— ⲉⲧⲗⲉⲕ *M.* Humidus, Tener *Kir.* 46.
— ⲙⲉⲧⲗⲏⲕ *M.* † Humiditas *Kir.* 58.
— ⲉⲥⲗⲉⲕⲗⲱⲕ *T.* Mollis, Delicata *Ming.* 345.
— ϯⲗⲟⲕⲗⲉⲕ *T.* Emollire *Pan.* 315. *Z.* 609. *not.* 8.
— ⲁⲧϩⲗⲓ ⲛⲗⲟⲕⲗⲉⲕ *M.* Irremittenter *Z.* 609. *not.* 8.
ⲖⲞⲨⲔ *M.* ⲡⲓ الشدق *Kir.* 76. Buccarum anguli, *quos Graeci* χαλινοὺς *vocant. Item* Oris distortio. *Est Arabicum* لقى Ore distortum esse, *ita Rossi* 104. *Sed aeque derivari potest a* ⲗⲕ, ⲟⲗⲕ Contrahere.
ⲖⲒⲔⲒ *B.* ⲟⲩ Culpa *Z.* 161. (*M.* ⲣⲓⲕⲓ).
ⲖⲈⲔⲖⲰⲔ, ⲖⲞⲔⲖⲈⲔ *vide* ⲗⲱⲕ.
ⲖⲀⲔⲘ, ⲖⲀⲔϨ, ⲖⲰϨⲘ *Radices affines.* In frusta concidere, Triturare.
— ⲗⲱϩⲙ *T.* Triturare *Z.* 630.
— ⲗⲉϩⲙ *T.* E siliquis grana educere *Z.* 556.
— ⲗⲁϩⲙ, ⲗⲁϩⲙⲉ *T. cum suffix.* Triturare *Z.* 627. 628.
— ⲗⲁϩⲙ, ⲗⲁϩⲙⲉ *T.* ⲧ. Mactra *Z.* 561. 562.

— εϥλαδεια *M. pro* εϥλακεια Tritus *Z.* 38.
— εϥλgηια *T.* Rumpens, Frangens *Z.* 484.
— λακια, λακιιε *T.* τ. Fragmentum, Frustum *Lùc.* IX, 17. *Z.* 233. 425. 488. 499. *Tuk.* 129.
— λακιιιι *M.* gαπ ψωμοὶ Bucellae, Frusta panis *Psal.* CXLVII, 3. *La-Croz.* 35. *habet* λαχιιι. *Consonat Arabicum* لقمة fragmen panis.
— α πλακιιλακια *T.* In frusta concidere, conterere *Z.* 233.
— λακg *M.* πι Fragmentum, Frustum, Frustulum *Levit.* II, 6. VI, 21. *Marc.* VI, 43. *Luc.* IX, 17. Angulus *Exod.* XXV, 26. *Matth.* VI, 5. XXI, 42. *Marc.* XII, 10. Fastigium, Vertex *Gen.* XXVIII, 18. *Exod.* XXXIV, 2. XXXVI, 26. — λάγανον Laganum, Placentae genus *Levit.* VII, 2.
— πιλακg *M.* Philae insula, *quasi* Fastigium, Extremitas Ægypti, *Arabibus dicta* Bilak *Z.* 53. *Kir.* 211. *Champollion l'Égyp. sous les Phar.* I, 154.
— xωx πλακg *M.* Caput anguli, Lapis angularis *Psal.* CXVII, 22. *Eph.* II, 20.
— λαϩε *T. pro* λακgεε Scruta, Panni, Segmenta vestis *Z.* 351.
ΛΑΚΑΝ *M.* Vicus, vel Urbs ad canalem Canopicum sita, haud procul a Terenuti, Arabibus dicta Alkam, *Champ. l'Égyp. sous les Phar.* II, 246.
ΛΑΚΝΤ *T.* ΛΑΚΕΝΤ *M.* πι τήγανον Sartago *Levit.* II, 5. VI, 21. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 59. 110.
ΛΑΚΟΝΧΙ *M.* cαιιπλακοnχι Textor *Kir.* 207.
ΛΑϨ *pro* λακc *T.* οτ χάλιξ Silex *Job.* VIII, 17. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 21.
ΛΙϨ *M.* ἀποκρυφὴ Latebra, Latibulum *Psal.* XVII, 11. (*T.* λικτ).
ΛΟΥϨ *vide* λωκc.
ΛΩΚC *T.* Mordere *pungendo*, Pungere *mordendo Sap.* 848. 856. *Sir.* XII, 13. XXI, 2. *Z.* 510. 570. λοκc *cum suff.*
— λοτϩ *T.* Idem αϥλοτϩ Momordit *Act.* XXVIII, 3. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 19. *ubi Graecus habet* καθῆψε.
— λοϩ, λοτϩ *M.* Pungere *Z.* 570. *n.* 5. *Rossi* 104, *qui refert etiam* λοτς. *Vide etiam* λωκϣ.
— λωκc, λοτϩ *T.* οτ Morsura, Punctio *Z.* 574. στίγμα *Galat.* VI, 17. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 16.
ΛΑϨΘ *vide* λακια.
ΛΑΚCΙ *M.* †λακcι Calce petere *Rossi* 337. *a* λὰξ Calce, *seu* λάξαι Calcitrare *a Lycophrone usurpato.*
ΛΙΚΤ *T.* οτ καταπέτασμα الحجاب Velum, Velamen *Cod. Par.* 44. *fol.* 60, *ubi partes altaris recensentur, tum fol.* 96. — Ἀποκρυφὴ Latebra, Latibulum *ibid. fol.* 19. *ex Psalmo* XVII, 11. *ubi versio Memphitica habet* λιϩ.
ΛΟΥΚΟΤΤΙΝ *M.* Numus, *seu* Solidus Aureus *Z.* 115. 538. *not.* 9. *Graecis auctoribus, qui de Ægypto scripserunt, dictus* λοκοτίνον, ὁλοκοτίνιν, ὁλοκοτίνος, *quare Thebaice scriptum legimus* gολωκοττιnοc *Z.* 538; *Origo vocis incerta est, vide Dufresne Glossar. M. et I. Graecit.* I, 1038. *Non differt a* λοτκοχι *quod vide.*
ΛΩΚϢ *T.* ετλωκϣ Contorti, Transversi *Z.* 450. *not.* 40.
— λοϩ *M.* ετλοϩ Contortus, Transversus *Ibid.*
ΛΚϢΑ *vide* ολκ.
ΛΑΚϨ *vide* λακια.
ΛΑΚϨ, ΛΩΚϨ *B.* Urere *Z.* 147. 151. Comburi *Q.* 243. (*M.* ρωκg).
— λακgϥ, *vel potius* λακg *cum suffixo* Combustio *Z.* 158.
ΛΟΥΚΟΧΙ, ΛΟΥΚΟΥΧΙ *M.* † Numus, *sive*

Solidus Aureus *Z.* 35. 42. 130. 538. *n.* 9. *Kir.* 68. *non differt a* λουκοττιπ *quod vide, nisi quod* κουζι parvam *monetae speciem indicare videtur.*

ⲀⲈⲀ *vide* λιλου.

ⲀⲎⲀ *M.* πι Armilla *Kir.* 123.

ⲀⲞⲀ *M.* ου Lectus *Z.* 492. *n.* 7. *Affine* ϩλοολε.

ⲀⲆⲀⲈ, ⲀⲆⲀⲞ *M.* ⲀⲆⲀⲰ *T. M.* Ungere, Obducere *Exod.* XII, 22. XXIX, 12. XXXVIII, 15. *Joh.* IX, 6. 11. *Z.* 627. *not.* 12. λαλω ππουϐ Obducere auro, Inaurare *Exod.* XXVI, 29. 37. XXX, 3. XXXVIII, 7.

— λοολε *T.* Idem *Z.* 627. ευλοολε Obducti, Uncti *Cod. Paris.* 44. *fol.* 112.

— ευλαλω *T.* Uncti *Z.* 495.

— ευλαλησυτ ππουϐ *M.* Inaurati *Exod.* XXXVII, 3. Variegati auro *Exod.* XXXVI, 12. ευλαλησυτ πϩατ Argento obducti *Exod.* XXXVII, 13. 15.

ⲀⲒⲀⲞⲨ *T.* π. Puer *Z.* 511. *not.* 46.

— λελου τ. Puella *Z.* 396. *n.* 85, *et* 511. *n.* 46.

— λιλουϣημ π. Puer *Z.* 396. *not.* 85.

— λελεϐολ *M.* Nutare, Vacillare in gradiendo, ut pueri faciunt *Z.* 90. *ubi perperam Zoëga emendabat* ϐελεϐολ, *verte*: stolidi aspectum praeferebat, et nutando gradiebatur.

ⲀⲞⲞⲀⲈ *vide* ελοολε, *et* λαλε.

ⲀⲞⲨⲀⲆⲒ *T. Inusit.* Gaudium, Jubilatio.

— ϯλουλαι ἀλαλάζω Jubilare *Z.* 646. *not.* 27. *Pap.* II, 103. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 45.

— ϣλουλαι Jubilare *cum* ϣ *intensivo* *Z.* 646.

— ϣληλοϊ *M.* πι Jubilatio *Ps.* XXVI, 6.

— εϣληλοϊ Jubilare *Psal.* XLVI, 1. Tinnire I. *Cor.* XIII, 1.

— εϣληλοϊ εϐολ Idem *Psal.* LXV, 1. Eiulare *Zach.* XI, 2.

— εϣληλοϊ π. Jubilatio, Eiulatus *Psal.* XXXII, 3. XLVI, 5. XCIV, 1.

— εϥεϣληλοϊ Tinniens, Eiulans I. *Cor.* XIII, 1. ευεϣληλοϊ Eiulantes *Marc.* V, 38.

ⲀⲰⲒⲀⲒ *M.* † Nates, Podex *Kir.* 78. *fortasse est Arabicum* الالية Nates, Podex.

ⲀⲰⲒⲀⲒ *M.* Natare *Act.* XXVII, 17. *ad fidem Mss. Lacrozii, vide eum p.* 36, *nam Wilkinsius edidit* ϩλωιλι, *quod magis congruit cum Theb.* ϩλοιλε supernatare. — ⲁⲡⲗⲱⲓⲗⲓ عمنا natavimus *Kir.* 313. *Kircherus perperam vertit* patruelis noster.

— ρεϥλωιλι Natator *Kir.* 113.

ⲀⲀⲎⲂ, ⲈⲀⲀⲎⲂ, ⲈⲀⲀⲈⲂ *T.* π. εὐτραπελία Scurrilitas, Dicacitas *Eph.* V, 4. *Z.* 570. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 75. 122. *ubi Arabice redditur* الهزو irrisio, ludibrium.

— λλεϥ, λληϥ *T.* Idem *Z.* 427. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 16.

ⲀⲈⲀⲈⲂⲞⲀ *vide* λιλου.

ⲀⲆⲀⲞⲨⲔⲎⲚ *M* Arbor Indica, cuius folia similia limonis تنبل *Kir.* 180. *Vox Arabica est* Piper betle, Folium betre seu betel *Sprengelio hist. rei herb.* 1, *p.* 243.

ⲀⲈⲀⲎⲰ *M.* πι σκνίφες Sciniphes, Culices *Exod.* VIII, 16. 17. *Rossi* 101. *contendit Wilkinsium perperam vertisse* pediculum.

— λεϩλεμ πι σκνίπες Idem *Psal.* CIV, 31. صر اصير Gryllus *Kir.* 362, *perperam ibi Kircherus vertit* Fit Fio, *vide T.* ϩλομ Gryllus.

ⲀⲆⲀⲈⲬⲎⲰⲒ, ⲀⲈⲀⲈⲬⲎⲰⲒ, ⲀⲞⲀⲈⲬⲎⲰⲒ *vide* ελοολε.

ⲀⲀⲈϤ, ⲀⲀⲎϤ *vide* λληϐ.

ⲀⲒⲀⲞⲞϨⲈ *T.* τ. μυζαρελ المغلة *Cod. Paris.* 44. *fol.* 81. *inter arbores et fructus recensetur, vide* λοοϩε.

ⲀⲆⲰ *M.* πι Arboris arabicae genus العشار *Kir.* 197. *Forskalio est* Asclepias gigantea, *Delillio* Asclepias procera.

ⲀⲆⲰ *M.* Splendere *Z.* 597. *not.* 78.

— ετλαμ Splendidi, Candidi *Ibid.*

ΛΑΛU *vide* λωμ.

ΛΘU *vide* λωμι.

ΛWU *M.* πι Bucella ψωμίον *Joh.* xiii, 26. 27. الخبز Panis species *Kir.* 364.

ΛWU *M.* μαραίνεσθαι Marcescere *Jacob.* i, 11. *Tuk.* 314. ἐκψύχειν Animo deficere, Tabescere *Ezech.* xii, 7.

— λομ πι Tabes, μαρασμὸς *Kir.* 261.

— αθλωμ, ατλωμ Immarcescibilis I. *Petr.* i, 4. v, 4. *Pan.* cxxiii.

— πψλωμ *T.* Semiputridus *Z.* 477.

— εсλααμ *T.* ῥυπαρὰ Sordida *Jac.* ii, 1.

— ετλααμ Sordidus, Marcidus *Z.* 597. *not.* 78.

— λωωμε *T.* π. Sordes, foeditas *Z.* 570.

— ετλοομε Madidi prae sordibus *Z.* 495.

— ετλομε Madidus prae sordibus *Z.* 520. 597. *not.* 78.

— λομс *T.* Sordescere, Sordidus esse *Z.* 533. Marcescere *Pap.* iv, 189.

— ετλομс Sordidus, Foetens *Z.* 312. 501.

— εολομс *M.* Idem *Z.* 36.

— ετλομс *T.* Sordidi, Foetentes *Z.* 520. 535.

ΛΘUΘΛ *B.* πι Divites *Z.* 147. (*M.* ραμαο).

— μετλεμεαα т. Divitiae *Q.* 239.

ΛIUI *B.* Flere *Z.* 152. Lacryma, *hinc Plur.* λεμιατει Lacrymae *Z.* 157. (*M.* ριμι).

— ετλιμι Flens *Z.* 152.

— χιπλιμι Flere *Q.* 230.

ΛOUΘ, ΛOOUΘ, ΛWWUΘ *vide* λωμ.

ΛWUI *B.* π. Homo *Q.* 233. 237. 239. (*M.* ρωμι).

— λεμ Idem *in compositis, sic* λεμτγαλιλεα Galilaeus *Z.* 150.

ΛΛUΠI *B.* т. Annus *Q.* 231. ετελαμπι quovis anno *Z.* 163. 164. (*M.* ρομπι).

ΛOUC *vide* λωμ.

ΛΘUHT *vide* λε.

ΛΘUϨH *B.* Liber, Servitutis expers *Z.* 152. 153. (*M.* ρεμϩε).

— ελλεμϩη Liber esse, fieri *Z.* 152.

ΛΛUΧΛΠT, ΛΛUΧΛTΠ *T. M.* π. Pix *Exod.* ii, 3. *Sir.* xiii, 1. *Z.* 22. 613. 628.

ΛΛIΠ *T.* π. Acies, Aciale, *l'acier Sir.* xxxiv, 26.

ΛΛϮΠI *B.* Virgo *Q.* 233. (*M.* ρωογπι).

ΛΘΠ *B.* π. Nomen *Z.* 158. (*M.* ραπ).

ΛΘOΠ *M.* πι Inaures *Gen.* xxxv, 4. *Exod.* xxxii, 2. Armillae manuum *Z.* 575. *n.* 11. *vide* λεος.

ΛΘΠOΘΠ, ΛΘΠTΘΠ *T.* π. Serra maxima, qua uti solent qui arborum truncos dissecant المنشار Serra, Lignum dentata forma *Z.* 637. *not.* 9. *Cod. Paris.* 44. *fol.* 59.

ΛΘΠΧI *M.* πι Armaturae, *seu* Loricae genus *Kir.* 117.

ΛΛϮΠO *T.* ογϩαλητ πλατπο طاير أبيض τʒικπαο *Cod. Paris.* 44. *fol.* 56. *Arabica glossa notat* Avem agilem, velocem; *Graeca, si legas* ζυγὶς, *notat* Lacertae genus.

ΛΛΠΛΘΠ *M.* πι ἐκβρασμὸς Exaestuatio *Nahum* ii, 10. *apud Rossi* 100. *Affine* λωбλεб Concupiscere, ϩλοπλπ Pruritus.

ΛΛΠC *B.* κατα λαπс πсмат Ullo modo *Q.* 246. *Subest ne aliquod erratum?*

ΛΛΠCI *M.* Mordere *Z.* 67. Morsu apprehendere *Z.* 151.

— λαπсι ογ Frustum, Fragmentum *Z.* 382. *not.* 19.

— бιλαπсι, бιλαψι Mordere *cc.* 81, πсα, π. *Gen.* xlix, 17. *Num.* xxi, 6. 8. Ore apprehendere *Z.* 382. *not* 19.

ΛΘΨ *T.* εγο πλεψ مجذم *Cod. Paris.* 44. *fol.* 106. *ex Levit.* xxi, 19. 20, *ubi vitia corporis recensentur; Arabica glossa notat* Amputatum, *nec longe abhorret* λαπсι mordere, frustum.

ΛΘΨΘ *T.* π. Sorbillum *Z.* 382. *not.* 19. 507.

ΛΛΨΛΠ *T.* π. ὀριβίλλα, ἀποχωνον اللبسان *Cod. Paris.* 44. *fol.* 83, *ubi herbae et*

plantae recensentur. Vox Arabica par est Ægyptiae; ἀπόκυνον Dioscoridis est Cynanchum erectum.

ⲀⲠϢ, ⲀⲞⲠϢ *vide* λωϭϣ.

ⲀⲀⲢⲒⲚ *M.* πι Peplum reticulare, maius *Kir.* 119.

ⲀⲀⲤ *T. M.* π. Lingua *Sir.* LI, 2. *Luc.* XVI, 24. *Act.* II, 3. 11. 26. ογλας cπαγ Bilinguis *Sir.* XXVIII, 13.

— λας ποyϩοορ *T.* Lingua Canis, Cynoglossa *Cod. Paris.* 44. *fol.* 83.

— φαπιλας *M.* Instrumentum acuminatum instar linguae *Kir.* 126. *Rossi* 231.

— λεc *B.* Lingua *Z.* 155.

ⲀⲈⲤ *vide* λας.

ⲀⲈⲤ *T. M.* Conterere, Frangere, Elidere *Psal.* LXXIII, 14. *Matth.* XXI, 44. *Z.* 461.

— λιc *T.* Idem *Z.* 492.

— λωc *M.* Contundi, Elidi *Luc.* XX, 18. *T.* Conterere, Contundere *Cod.Par.* 44. *fol.* 11.

— εγλας *M.* Contusus *Levit.* XXII, 24. θλαδίας Contusus *testiculis Deut.* XXIII, 1.

— λнc *M.* π. Extremum ϣα πεqλнc usque ad eius extremum *Z.* 67.

ⲀⲈⲞⲤ *M.* ϩαπ τροχίσκοι Rotulae, Circuli, Inaures *Ezech.* XVI, 12, *vide* λεοπ.

ⲀⲎⲤ, ⲀⲒⲤ, ⲀⲰⲤ *vide* λεc.

ⲀⲰⲤⲔ *T.* Putrefieri *Z.* 396. *not.* 81.

ⲀⲈⲤϮ *B.* αὔριον Cras *Z.* 156. (*M.* pαcϯ).

ⲀⲈⲦ *T.* λετϩοογτ ζβερνασιλινου كرفس بري *Cod. Paris.* 44. *fol.* 83. Apium silvestre.

ⲀⲈⲦ *B.* π. ποῦς Pes *Q.* 237. (*M.* pατ). — ελετ mihi, ελεττнпογ vobis *Z.* 155.

ⲀⲰⲰⲦⲈ *T.* Vulnerari πεqϭιϫ αγλωωτε αγϣοτω cποq επεcнт manus eius vulneratae fuerunt (تكحر حت) sanguis inde defluebat *Cod. Paris.* 44. *fol.* 120.

ⲀⲀⲦⲂⲈⲤ *T.* ογ σύμβλημα Commissura, Glutinum *Esai.* XLI, 7. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 112.

ⲀⲀⲬⲰⲎ *vide* λακμ.

ⲀⲀⲞⲨϢ *B.* π. Sollicitudo, Cura *Z.* 153. 154. (*T.* pooγϣ).

— ϭιλαογϣ Sollicitudinem habere, Sollicitus esse *cc.* ϩα *Z.* 152. *bis.*

— ελλαογϣ Sollicitudinem dare, sumere *Z.* 152.

ⲀⲎϢ *B.* λεμλнϣ (*pro M.* pεμpαϣ) ἤπιος Mansuetus homo *Z.* 168.

ⲀⲈϢⲒ *B.* Gaudere *Z.* 152. 166. (*M.* pαϣι).

— λεϣι π. Gaudium, Laetitia *Z.* 165. 166. 168.

— εγλεϣι Gaudens *Z.* 152.

ⲀⲈϢⲦⲰⲚ *T.* ογ Vilis ac monastici indumenti genus *Ming.* 345.

ⲀⲀϢϪ *M.* Turbari *Pan.* CXIII.

— λεϣϫ διασείειν Concutere, Vexare *Luc.* III, 14. *Kir.* 485.

ⲀⲞϤ, ⲀⲰϤ *M.* μωραίνεσθαι Fatuus, Insipidus esse, fieri *Matth.* V, 13. *Luc.* XIV, 34. *Z.* 75 Corrumpi, Vitiari *Kir.* 473. (*Affine* λιϭε).

— λοοqε *T.* ἐπισφαλὴς εἶναι Incertus, Vanus esse *Sap.* 476.

— λοqλεq *M.* συντρίβεσθαι Conteri. — *T.* Corrodere, Corrumpere *Z.* 381. *not.* 13.

— λοqλεq *T.* ϩπ σῆτες Tineae *Sir.* XIX, 3. — *M.* ογ Interitus, Perditio *Kir.* 473.

— λεqλιqε *T.* ογ Frustum, Fragmentum, Mica *Z.* 426.

— λεqλιqι *M.* ογ Idem *Matth.* XV, 27. *Marc.* VII, 28. *Luc.* XVI, 21.

— λεqλεqι *M.* ογ Idem *Kir.* 338.

ⲀⲈⲒϤⲒ *M.* πι Pisces squamis vestiti *Kir.* 170.

ⲀⲞⲞϤⲈ *vide* λοq.

ⲀⲈϤⲀⲒϤⲈ, ⲀⲞϤⲀⲈϤ *vide* λοq.

ⲀⲀϦⲈⲘ *M.* πι Ramus *Gen.* VIII, 11. XLIX, 9. 21. καυλὸς Caulis *Exod.* XXXVIII, 9. πυθμὴν Culmus, Propago *Gen.* XL, 5. ἐπαρυστρὶς Vas, Infundibulum *Zach.* IV, 2. 12.

— λαϭεμ πι Ramus *Kir.* 264.

— εqλαϭεμ Tritus *vide* λακμ.

ⲖⲰϨⲈⲘ *M.* πι السلبق Beta *Kir.* 264. *Rossi* 105.

ⲖⲞⲈ *T.* ου φροντίς Cura, Sollicitudo *Job.* xi, 18. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 117.

ⲖⲞⲒϨⲈ *T.* π. Coenum, Lutum II. *Petr.* ii, 22. *Z.* 325. 638. *ubi est femin.* τ.

— πλοειϩε Lutosus, Coenosus *Z.* 595.

— λωιϩι *M.* π. Coenum, Lutum II. *Petr.* ii, 22. *Kir.* 347. *ubi est femin.* ϯ.

ⲖⲞⲞϨⲈ *T.* τ. المقل المقل *Cod. Par.* 43. Fructus palmae silvestris, Bdellium, *vide* λιλοοϩε.

ⲖⲞⲨϨⲒ *B.* Vespera *Z.* 147. (*T.* ρουϩε).

ⲖϨⲰⲂ *vide* ελϩωϧ.

ⲖⲈϨⲖⲈⲘ *vide* λελημ.

ⲖⲈϨⲖⲰϨ *T.* Consitus, πιτοπος ετλεϩλωϩ εϐολ ϩ̄ν πεϣηπ locus consitus arboribus *Pap.* v, 79.

ⲖⲀϨⲘ, ⲖⲀϨⲘⲈ, ⲖⲈϨⲘ, ⲖⲰϨⲘ *vide* λακμ.

ⲖⲀϨⲘ In gratiam Dei restitutus, cum eo reconciliatus *Rossi* 100. *Fides sit penes Rossium.*

ⲖϨⲎⲤ *T.* φυσάω Sufflo, Spiro *Sap.* 581.

ⲖⲰϨⲦ *B.* τύπτειν Percutere, Verberare *Z.* 154. (*M.* ρωϩτ).

ⲖⲀϨⲰϪ *M.* ου *Incertum Z.* 640. *not.* 11. *anne* frigus intensum? *a* λα *particula intensiva, et* ϩωϫ frigus?

ⲖⲰϪ *M.* Cessare *cc. suffix. recipr. personae* αϥλοϫϥ destitit se, cessavit *Num.* xxv, 8. σεναλοϫου cessabunt I. *Cor.* xiii, 8, *tum cum particip.* αυλοϫου ετϩιοτι a percutiendo destiterunt *Act.* xxi, 32. αςλοϫς εςοι ipsa cessavit esse *Gen.* xviii, 11. — Convalescere *cc. suffix. recipr. personae* αϥλοϫϥ convaluit *Luc.* xvii, 15. ντεςλοϫς convalescat *Hebr.* xii, 13. *Deut.* xxviii, 27. 35, *ubi pro* λοϫπ *lege* λοϫκ. — *T. M.* Agglutinare προσκολλᾷν, ϯναλοϫου *T.* Agglutinabo eos *Ezech.* xxix, 4. *apud Z.* 552, ειελοϫου *M.* agglutinabo eos *Ezech.* xxix, 4. *in Codice Memph. Paris. Ezechielis.*

— λωϫι εϐολ *M.* Sanari, Convalescere *Levit.* xiii, 24. *Zoëga* 337. *edidit* α πρωμε λοϫι ντετνου ετμμαυ, *ut videatur* λοϫι *Thebaice esse* Convalescere, *sed lege* λο ϫιντετνου Convaluit ex illa hora.

— ετλοϫτ', εϥλοϫτ *T.* Adhaerens, Agglutinatus *Z.* 321. 562.

— λαϫτε *T.* Lutum, Coenum *Pap.* v, 60. ερε πνουϧ ο νθε νουλαϫτε aurum est instar luti.

ⲖⲀϪⲒ *M.* πι Latrina navis *Kir.* 134.

— μετλαϫι ϯ ἀναίδεια Impudentia *Luc.* xi, 8. *Rossi* 101. (*T.* λαϭ).

ⲖⲒϪⲒ *M.* ου طاسة Patina, Catinus, Pelvis *Kir.* 151.

ⲖⲰϪⲒ *vide* λωϫ.

ⲖⲰⲒϪⲒ *M.* ϯ Praetextus, Querela *Deut.* xxii, 14. *Matth.* xxiii, 13. *Luc.* xx, 47. Occasio *Rom.* vii, 8. 11. Causa *Kir.* 42. 43. *Z.* 12. (*T.* λοιϭε).

— αθλωιϫι, ατλωιϫι Irreprehensibilis I. *Tim.* iii, 2. v, 7. *Tit.* 1, 6. 7.

— ϯλωιϫι Occasionem dare II. *Cor.* v, 12.

— ϫεμλωιϫι Praetextum, Occasionem quaerere *Psal.* cxl, 4.

ⲖⲰϪⲔ *T.* Alluere, Cruentare *ita Georgi in Panesn.* 319.

ⲖⲀϪⲖⲀ *vide* ϫαλ.

ⲖⲀϪⲖⲈϪ, ⲖⲞϪⲖⲈϪ, ⲖⲈϪⲖⲰϪ *vide* λωϫϩ.

ⲖⲰϪⲤ *T.* Mordere *Eccles.* x, 5. 8. *apud Panesn.* 319.

ⲖⲰϪⲦ *vide* λεϫϩ.

ⲖⲞϪⲦ, ⲖⲀϪⲦⲈ *vide* λωϫ.

ⲖⲈϪϨ *T.* Lingere, Delingere, Lambere *Luc.* xvi, 21. *vide* λωϭϩ.

— λωϫϩ *T. M.* Idem *Num.* xxii, 4. *Psal.* lxxi, 9. *Luc.* xvi, 21. *Z.* 295. *Pap.* v, 38.

— λωϫⲧ *T.* Idem *Ming.* 262.

ⲖⲰϪⲈ *T.* θλάω Contundere, Frangere *Sir.* xxx, 12. *Pap.* v, 38. ἐκθλίβειν Conterere, Confringere *Psal.* xviii, 38. *in Z.* 571. συντρίβειν *Psal.* lxxiv, 14. *in Cod. Par.* 44. *fol.* 20.

— λωϫϩ π. στενοχωρία Angustia *Sap.* 206. II. *Cor.* vi, 4. (*ubi scribitur* λοϫϩ) xii, 10. *Z.* 595. *Ming.* 287. ογλωϫϩ πϩнт Angustia cordis *Z.* 505.

— λεϫλωϫ (*T. pro* λεϫλωϫϩ) Ægrotare, Infirmus esse I. *Cor.* xi, 30. *Pap.* v, 62.

— λοϫλεϫ *T.* Idem *Tuk.* 313.

— ετλεϫλωϫϩ *T.* Ægrotantes, Infirmi *Z.* 534. *not.* 3.

— λοϫλεϫ *T.* π. Infirmitas *Matth.* viii, 17. ix, 35. *Z.* 496. — ἱμάντωσις Colligatio, Lignum quod ad continendos muros in medio structurae ponitur *Sir.* xxii, 16, *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 119. *Taurinensis Codex Siracidis habet* λοϭλεϭ, *quam veram esse lectionem puto*, *vide infra ad vocem.*

— λαϫλεϫ *M.* πι μαλακία Languor *Deut.* vii, 15, *ubi male* αλαϫλεϫ *scribitur* — الناطق العاقم *Kircherus* 157. *vertit* Fornix recta, seu plana, *Arabica glossa notat* Colligationem firmam, *scilicet est* ἱμάντωσις, *vide praeced.* λοϫλεϫ.

ⲖⲀϬ *T.* Impudenter petere (*M.* λαϫι).

— ⲙⲛⲧλαϭ τ. ἀναίδεια Impudentia in petendo *Luc.* xi, 8, *et Cod. Paris.* 44. *fol.* 88. *ubi glossa Arab.* اللجاجة *est ipsa vox Arabici interpretis Lucae* xi, 8.

— ⲙⲛⲧλαϭ *vide* λωϭ.

ⲖⲎϬ *vide* λωϭ.

ⲖⲞϬ *vide* λοκ Congius.

ⲖⲰϬ *T.* Occultare *Z.* 581. νοσφίζεσθαι Sibi vindicare, Suffurari αγλωϭ εβολϩⲛ πανα-θεⲙⲁ Sibi vindicarunt (*vel, si mavis*, occultarunt) ex anathemate *Josu.* vii, 1. *in Cod. Paris.* 44. *fol.* 108.

— λнϭ Occultus esse, manere, Latere *Z.* 262. 581. Occultare *Z.* 352.

— ⲙⲛⲧλαϭ τ. Solitudo *in qua quis latet*, Vita solitaria, Contemplativa *Z.* 650.

ⲖⲀⲒϬⲒ *vide seq.* λοιϭε.

ⲖⲞⲒϬⲈ, *et raro* ⲖⲞⲈⲒϬⲈ *T.* τ. Praetextus, Causa, Culpa *Sap.* 990. *Joh.* xix, 6. *Act.* xxiii, 28. *Z.* 362. *Tuk.* 353. (*M.* λωιϫι).

— λαιϭι *B.* Idem *Z.* 166. 167.

— ϭπλοιϭε *T.* Occasionem arripere *Z.* 317. Praetextum invenire *Z.* 233. 260.

— ϭεπλοιϭε Sumere praetextum, Simulare *Act.* xxvii, 30.

ⲖⲞϬⲖⲈϬ *T.* ἱμάντωσις Colligatio, Lignum quod ad continendos muros in medio structurae ponitur *Sirac.* xxii, 16. *sed Cod. Par.* 44. *fol.* 119, *uti monui paullo supra, scribit* λοϫλεϫ. *Vox est repetenda a radic.* ϩωλϭ adhaerere, complecti, *unde* ϩλοϭλεϭ, *et* λοϭλεϭ.

ⲖⲰϬⲈ *T.* Lambere *Z.* 640. *n.* 11. *vide* λεϫϩ.

Ⲙ

Ⲙ Radici primitivae affigitur, ut inde alia enascatur, sic οτωϩ οτωϩⲙ, cωρ cωρⲙ, ϩωλ ϩωλⲙ, ϫωρ ϫωρⲙ, ειερϩ ειορⲙ, ωλ ωλⲙ, ϩωκ ϩωκⲙ.

— Praefigitur radici, ϭοκι ⲙϭοκι, *sed ante* ϭ *pro* π *ponitur.*

— *Pro* π *semper ante* π, *et plerumque ante* ϭ, ⲙ, ϕ.

— Praefixum negativum *pro* π *usurpatur non solum ante litteras* ϭ, ⲙ, π, ϕ, *sed etiam quoties aliqua confusio et amphibologia*

oriretur, si adhiberetur τὸ ⲛ. Usurpatur ante tempus praesens ⲉⲓ, ⲉⲕ *etc., ne, adhibito* ⲛ, *fiat* ⲛⲉⲓ, ⲛⲉⲕ *etc., quod ipsum est imperfectum, sic* ⲙⲉⲥⲟⲧⲱϩ non habitat *Sap.* 9. ⲙⲉϥⲉⲓ non venit *Jòh.* x, 10. ⲙⲉⲓⲟⲩⲱⲙ non manduco *Z.* 297. — *Ante* ⲉⲣⲉ, *nam* ⲛⲉⲣⲉ *est imperfectum, sic* ⲙⲉⲣⲉ ⲗⲁⲁⲩ ϩⲓ nemo adiicit *Màtth.* ix, 16. — *Raro ante praeteritum, sic* ⲙⲁϥⲙⲉⲥⲧⲱⲟⲩ non odit ea *Sir.* xv, 13. ⲙⲁϥⳁⲁⲛⲁϥ non placuit ei *Sir.* xxi, 15. ⲙⲁⲣⲉ... ϭⲱ non permanet *Sir.* vi, 20. (*quod improbandum est, nam* ⲙⲁⲣⲉ *est* Utinam). *Hinc est*

— ⲉⲙ Particula praefixa Negativa participii praesentis, *constat ex* ⲙ *praecedenti, atque* ⲉ *participiali*, ⲉⲙⲉϥⲱϫⲛ incessabilis *Sap.* 343. ⲉⲙⲉⲩⲙⲟⲟϣⲉ non ambulantes *Sap.* 829. ⲉⲙⲉⲥϩⲱϭϭ non marcescens *Sap.* 287.

ⲘⲀ *T. M.* Da *Imperativum verbi* ϯ dare *Gen.* xlvii, 19. *Matth.* xiv, 8, *tum* ⲙⲁ ⲉⲃⲟⲗ Vende *Marc.* x, 21. ⲙⲁⲁⲥⲟ (*Imperat. verbi* ϯⲁⲥⲟ) parce *Psal.* xviii, 13, ⲙⲁⲥⲃⲱ doce *a* ϯⲥⲃⲱ II. *Thess.* iii, 15. *Omnia verba composita ex* ϯ *habent imperat. in* ⲙⲁ (*M.* ⲙⲟⲓ)-

— Praefixum imperativi etiam in verbis non compositis cum ϯ, *sic* ⲙⲁⲧⲁⲙⲓⲟ facite *Lùc.* xii, 33. ⲙⲁⲧⲥⲁⲃⲟⲓ doce me *etc.*

— ⲙⲁⲣⲉ *T. M. cum* ⲣⲉ *paragogico* Utinam, *et* Praeformans Optativi, ⲙⲁⲣⲉ... ⲉⲓ Da eum venire, Utinam veniat, Veniat *Màtth.* x, 13. ⲙⲁⲣⲉ... ϣⲱⲡⲉ sint *Lùc.* xii, 35. *Et cum personarum suffixis* ⲙⲁⲣⲓ, ⲙⲁⲣⲉⲕ *etc., ut in Grammaticis.*

— ⲙⲁⲗⲉ *B.* Idem *Z.* 151. 153. *Q.* 231.

— ⲙⲁⲣⲟⲛ *T. M.* Eamus *Màtth.* xxv, 46. *Jòh.* xi, 7. 15. *Z.* 24. 34. 90. *pro* ⲙⲁⲣⲉⲛⲉⲓ.

ⲘⲀ *T. M.* ⲛ. Locus *passim*, Regio *Z.* 513.

— ⲙⲁⲓ *M.* ⲛⲓ Loci *Gen.* xx, 13. *Num.* xviii, 31.

